KALENDIS . IANVARIIS . A . MDCCCC

IESV . DEO

SOSPITATORI . GENERIS . VMANI

NOVO . ANNO . EXORIENTE

HILARES . INTER . CONCENTVS . ECCLESIAE

QVAE . DIVINI . ILLIVS . IMPERII . HONORES

IMMORTALI . GLORIA . ADAVGET

ROMANI . CATHOLICI . NOMINIS

SECVNDISSIMA . GRATVLATIONE . ET PLAVSV

STATA . SOLLEMNIA . OBEVNTES

SOLLICITAS . ADMOVENT . PRECES

VTI . VRBIS . SACRAE

QVAM . RELIGIONVM . MAGISTRAM

ARCEMQVE . FIDEI

GENTES . OMNES . ADMIRANTVR . COLVNT

FAVSTITATI . CONSVLAT

CAVSSISQVE . BELLI . VBIQVE . SVBLATIS

TERRARVM . ORBI . AFFVLGERE . IVBEAT

DIV . EXPETITAE . PACIS . MVNERA

IN . AEVVM . MANSVRA

David Farabulini

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

II.

DE RATIONE VESTIENDI CADAVERIS SACERDOTIS ILLIUSQUE SEPELIENDI.

Caesar Diaconus reversus in Ecclesiam, vehementer dolens singulare eventum refert Parocho, a quo et laudibus commendatur. Deinde statim Augustinus praecipit aedituo ut, incoepto licet per solemniores Vesperas festo, pro defuncti transitu campanam pulset. Postea pergit ad domum defuncti, cuius necroscopus iam recognoverat mortem, curatque ut sacerdotalibus induatur vestibus coloris violacei, et loco crucis calicem in illius manibus aptat. Sequenti die defunctum iterum invisit, iubetque ut, expletis Vesperis, deferatur in Ecclesiam, sed capite ante et pedibus retro, ut commodius in media Ecclesia deponi valeat, prout Rituale praescribit. Feretrum pluribus erat circumdatum candelabris, quae, aliis deficientibus a variis altaribus desumpta fuerant, cum cereis ardentibus. At vero accidit, ut vix feretro deposito in Ecclesia, ita coeperit putrescere corpus, ut prae foetore nauseante quem redolebat, tabeque ex illo manante, de Ecclesia in coemeterium deferri quamprimum debuerit. Eodem modo, quo cadaver e domo in Ec-

clesiam, delatum quoque fuit ex Ecclesia ad coemeterium, nempe capite ante pedibusque retro, in eoque sepultum. *Quaeritur*:

1. *Quid ex iure liturgico, disciplina quoque sive latina sive graeca inspecta, habeatur circa Sacerdotum aliorumque Ecclesiasticorum vestienda cadavera, ratione quoque habita coloris vestium?*

2. *Quare cadaver Sacerdotis alio modo quam cadavera fidelium, et quali, seu in Ecclesia seu in sepulcro deponatur, et quomodo tam ad Ecclesiam quam ad coemeterium deferri debeat?*

3. *Quid de campanae sonitu pro expiratione Rituale praescribat, uti de ornatibus feretri, quidque de Parochi iussione iudicandum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Aloisii Capotosti Almi Collegii Capranic. alumni, habita in sacra Aede Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 29 Novembris 1899; acta Epitome per Rev.mum Dom. Philippum M. Can. Difava, S. R. C. Substit.

I. Quid ex iure liturgico, disciplina quoque sive latina sive graeca inspecta, habeatur circa Sacerdotum aliorumque Ecclesiasticorum vestienda cadavera, ratione quoque habita coloris vestium?

Apud omnes civiles nationes cadaver semper consideratum fuit veluti res sacra ac proinde nil magis ad iram populum provocare poterat, quam sepulcrorum profanatio, exuvias carorum et praedecessorum custodientium. Cultum illum naturalem a singulis hominibus, a quibuscumque populis in defunctos prae-

stitum Sancta Mater Ecclesia Catholica excepit et sanctificavit. Ipsa sive suis benedictionibus, sive funebribus functionibus, sive piis suffragiis, uno verbo, omnibus iis caeremoniis, quas in fidelium morte ordinavit, testificatum voluit coram populis, qualem quantamque venerationem exigeret ab hominibus erga illa corpora, quae templum iam fuerunt Spiritus Sancti. Voluit praeterea incredulis ceterisque omnibus publicum testimonium ostendere de sua fide circa futuram resurrectionem. Hinc voluit tot officia in reliquias mortalium suorum exhibere; non enim peribunt, nec derelinquet Deus animam eorum ab iis profugam, sed corpora rursum amplexata, immortalitatis stola et ipsa induta, ab aeterno Iudice propriam cum anima audient sententiam.

Idcirco apud maiores nostros, vix spiritu Creatori reddito, fidelis cadaver curabatur, videlicet, clausis ipsi oculis et ore, tepida lavabatur aqua, pretiosis unguentis et balsamis ungebatur, ac deinde propriis indutum vestibus, ad Ecclesiam processionaliter ferebatur, hymnis et Psalmis personantibus vocibus comitantium, circumdatum ardentibus cereis. De his ad nos usque pervenit documentum, quod in Historia Ecclesiastica Eusebii invenitur *(lib. VII, cap. 17)*. Refert praefatus Auctor laudem, quam Dionysius Alexandrinus tribuit pietati nonnullorum, qui « Mortuorum Christianorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris, cadavera decenter ornare, illis adhaerescere, amice complecti, lavare accurate et linteo funebri involvere non gravati sunt ».

Ritus lavandi cadaver vetustissimus est, ac semper extitit tum apud Graecos cum apud Latinos, ut fidem faciunt Tertullianus in cap. V sui « Apologeticon », et Dionysius Alexandrinus in citato documento. His anterius videre est praeclarum testimonium in *Actibus Apostolorum*, ubi *(Cap. XX)* sic

legitur: « Factum est ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt illam in coenaculo ».

Alia quoque caeremonia corporis nempe defuncti balsamis ungendi, communis fuit Hebraeis et Paganis sicuti et Christianis, qui postremi, memores verborum, quae Christus Iesus discipulis suis dixit, cum indignati sunt, eo quod mulier quaedam balsamum fudisset super caput Domini, nempe : « Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud »; servare voluerunt et ipsi hunc antiquum morem , ac in suis defunctis hoc pietatis obsequium implere. Habentur hac de re plura documenta, inter quae satis erit citare Acta S. Callixti Papae , in quibus legitur, ipsum Pontificem levasse corpus S. Calepodii, quod « cum gaudio linteaminibus involvit, aromatibus condivit et honorifice cum hymnis et laudibus sepelivit in coemeterio eiusdem ». Sic pariter inter acta S. Euplii Diaconi, qui martyrium Catanae subiit, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, habetur, corpus illius Martyris a Christianis sublatum, *conditum aromatibus* fuisse ac sepultum. Nec caeremonia huiusmodi in Sanctos tantummodo adhibebatur, sed in omnes quoscumque defunctos servabatur, uti Tertullianus (*Apolog. cap. 42*) et poëta Prudentius in suo hymno pro exequiis testantur.

His caeremoniis aliam Graeci addebant, nempe triplicem aspersionem sacri chrismatis in forma crucis, quae fiebat super cadaver. Testatur hoc auctor libri *De ecclesiastica Hierarchia*, qui cap. VIII ait: «Mortuo ab omnibus salutato, oleum superfundit Antistes». Id insuper confirmatur ab Euchologio graeco, a Patriarcha Philotheo conscripto.

His pietatis ritibus expletis, vestiebatur cadaver. Novimus ex S. Ioanne Chrysostomo et S. Hieronymo, ad hoc adhibitas fuisse splendidas vestes, tam apud Graecos, quam apud Latinos, et eo usque pervenisse luxus, ut citati Sancti coacti fuerint evange-

lico eloquio in tantum abusum invehere. Et re quidem vera in vita S. Pauli Eremitae, S. Hieronymus exclamat: « Parcite quaeso vobis, parcite saltem divitiis, quas amatis. Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cesset? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt? » Et S. Ioannes Chrysostomus in Homilia 84 talem reprobat usum, exemplum Iesu Christi referens, et addit: « Sumptuosa namque sepultura nonnumquam causa est, ut fures cadaver effodiant, et nudum et insepultum proiiciant ».

Hisce redargutionibus non obstantibus, usus aliquatenus servatus est, et a scriptoribus quoque doctis et ecclesiasticis probatus fuit pro Summo Pontifice, pro Imperatoribus, Regibus, Principibus, Episcopis et adhuc pro sanctae vitae viris. Notum est sane, usum semper servatum fuisse, horum cadavera vestibus proprii respective gradus induendi; ita Summi Pontifices Pontificalibus sibi convenientibus indumentis vestiti sunt, veluti clare demonstratur in vita Hadriani Papae, ubi legitur: « Sepulto itaque Summo Pontifice et universali Papa Adriano, Apostolicis infulis involuto, uti mos est Romanum sepelire Episcopum». Magis adhuc explicite habetur in relatione, quam reliquit Bzovius, de inventione corporis Bonifacii VIII, quae accidit, die 26 Septembris 1303. In hac relatione Auctor describit quomodo corpus praefati Pontificis indutum extiterit omnibus pontificalibus indumentis. En eius verba: « Vestimenta haec erant: femoralia tibialibus coniuncta coxas stringentia, quibus antiqui utebantur ex inverso rubro cum zona serico rubro super corio cooperta, in cuius summitate erant punctales argentei, sive fibulae; sed quia erant ex lana, iam fere consumpta videbantur. Tunica interior quae subtana dicitur ex inverso albo. Rochettus longus erat palmis sex, et quarti unius usque ad talos ex tela Cameraci, quae *Cambraia* dicitur, qui cinge-

batur cingulo ex corio serico rubro cooperto in modum zonulae cum quatuor cordulis sericeis rubris ante pendentibus, stringentibus zonam. Alba, quae et camisium dicitur, erat ex tela subtili Cameracensi, cum fimbriis ante et post tibias, nec non ad manus et ad pectus, quae fimbriae ante et post tibias singularum, ipsarum habent in latitudine palmos tres cum dimidio etc. . . etc. . . . . Stola stricta . . . intertexto argento et serico nigro . . . . . Cingulum Pontificale ex serico rubro et viridi, pulchre quidem intertextum etc. . . . Manipulum strictum auro argentoque intertextum opere ad undas cum serico nigro et violaceo . . . . . Sandalia nigri coloris . . . . Tunica Pontificalis ex saia de serico nigro . . . Dalmatica ex saia de serico nigro . . . Caligae Pontificales ex serico nigro.... Casula sive planeta ex saia de serico nigro . . . Habebat fanonem circa collum et humeros . . . ex puro serico velo albo subtilissimo . . . supra fanonem erat pallium . . . Chirothecae ex serico albo . . . Manus complicatae in modum crucis, dextera supposita sinistrae, in cuius dexterae annulari digito super ipsis chirothecis aderat annulus aureus pulcherrimus . . . Mitra alba ex tela damaschina . . . ».

Etiam Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, uti iam diximus, induebantur sacris vestibus respondentibus eorum gradui. De hoc certiores nos faciunt plures scriptores, inter quos Baronius, qui ad annum 310, loquens de S. Petro Patriarcha Alexandrino, dicit : « indutum vestis sacerdotalibus *albi coloris*, colobio et omophorio, triumphali pompa ad coemeterium delatum, sepulturae mandatum fuisse ». Sic etiam Theodoretus in suo « Philotheo » citat pleraque exempla; et monachus Gerardus in vita S. Udalrici, narrat de quadam religiosa et nobili femina nomine Ildegarda, quae « attulit camisiale cera perfusum, ut sacro corpori caute secreto circumdaretur, ne *sacerdotalis paratura,* qua indutus erat, cito a terra consumaretur ».

Nec solis Episcopis concedebatur tale privilegium; novimus ex aliis documentis certis, etiam Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos et ceteros clericos indutos fuisse sacris vestibus propriis suae respectivae dignitatis. Brevitatis gratia, duo solummodo documenta referemus, ut probetur nostra assertio. Primum est cuiusdam scriptoris anonymi Turonensis saec. XII, qui in suo libro, titulo : « Speculum Ecclesiae » ita se exprimit : « Sigillum cereum in modum crucis compactum, et aquam benedictam continens, super caput defuncti ponimus, quod est signum baptismi et christianitatis suae, et testimonium quod ipse fidem Christi habuit in mente. Clerici vero ordinati cum illis indumentis in quibus fuerunt ordinati, debent et sepeliri, et Sacerdos cum illis cum quibus assistit Altari . . . Super pectus vero Sacerdotis debet poni calix loco sigilli, quidquid sit de oblata : quod si non habetur stanneus, saltem samius, idest fictilis. Samus enim est insula ubi prima facta sunt vasa figuli. Episcopus debet habere annulum quia sponsus est: caeteri Sacerdotes non, quia sponsi non sunt, sed amici sponsi vel vicarii. Item capilli debent Clerico tonderi, corona fieri, barba radi ». Haec eadem, brevius enarrata, habemus ex Gulielmo Durando, qui saec. XIII vixit. Is in libro VII sui operis « Rationale Divinorum Officiorum » (*cap. 35, n. 41*), scribit : « Clerici si sunt ordinati, illis instrumentis indui debent, quae requirunt Ordines, quos habent ».

Fuit etiam antiquus mos ponendi supra pectus Sacerdotum, praeter sacras vestes, calicem cum patena. Docet hoc nos anonymus Turonensis mox citatus, prout et alii, quos inter Amalarius, qui funeralia S. Lutberti referens, scribit : « A navigantibus ad insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, oblata super pectus sanctum posita, vestimento Sacerdotali indutus, in obviam Christi calceamentis suis praeparatis in sindone cereata

involutus animam habens cum Christo gaudentem, etc.»; tandem subdit huiusmodi fuisse morem Ecclesiae Romanae.

Praeter Calicem et Patenam invaluerat olim usus mortuos sepeliendi cum divina Eucharistia ; id vero Episcoporum potissimum proprium erat. In vita S. Basilii Magni a S. Amphilochio descripta hoc legimus : « Dividens (S. Basilius) panem in tres portiones, unam quidem suscepit cum timore magno, aliam vero servavit ad consepeliendum sibi, tertiam vero super columbam argenteam suspendit super Altare ». Hic usus porro, Eucharistiam super pectus Episcoporum ponere, communis fuit Graecis et Latinis; praeter scripta testimonia, id nos docent antiquorum Episcoporum detecta sepulcra.

Descripsimus hucusque caeremonias a Latinis adhibitas in *cura* cadaveris alicuius Ecclesiastici; aliquid nunc dicendum remanet de ritibus Graecorum. De eorum Euchologio haec excerpsimus : « Aliquo e sacerdotum numero ad Dominum migrante, tres alii sacerdotes conveniunt, eum e lecto deposituri. Cum vero corpus nudum a Sacerdotibus lavari nefas sit, oleo puro illud abstergunt, et mox consuetis illud amiciunt vestibus, tum vero sacerdotali ornatu superinduunt operta tamen eius facie calicis velo, et sacro ei Evangelio superimposito. His peractis etc. etc. ».

Patet hinc Graecorum ritum quoad substantiam cum Latino convenire ; haec intercedit differentia, Graeci morem sequuntur ungendi cadaver Sacerdotis oleo, seu sacro Chrismate, vultum cooperiendi velo pro Calice adhibito, ac demum superimponendi librum Evangeliorum.

His dictis, satis videmur fecisse primo quaesitus primi commati ; unde respondebimus iis quae ulterius inquiruntur circa colorem vestium, quibus ex iure liturgico cadavera Ecclesiasticorum induenda sunt, disciplinam tum latinam tum graecam inspicientes.

De colore antiquitus adhibito his in caeremoniis certi nullimode fieri possumus ; non enim omnibus in Ecclesiis idem habebatur Rituale, nec insuper facile praesto sunt necessaria documenta. Videntur tamen communiter in usum fuisse color niger, et albus. Hoc testantur superius allata documenta et plura alia quae a Baronio suppeditantur. Color in praesens adhibendus statutus est a Caeremoniali Episcoporum et Rituali Romano, et est violaceus. Ab hac lege Summus Pontifex excipitur, qui ad tramitem *Caeremonialis Sanctae Romanae Ecclesiae*, indui debet vestibus sacris rubri coloris.

In graeca Ecclesia nil ex lege praescribitur, fert usus tamen, ut albus color adhibeatur. Ratio autem in hoc consistit, quod in Ecclesia graeca nullus alius admittitur color, nisi albus et rubeus ; unde albus aptior invenitur in casu, eo quod hic color significat simplicitatem et paupertatem. Et sane quantumvis defunctus in vita sua dives et potens extiterit, nil aliud in praesenti tenet, nil aliud ei superest quam sepulcrum.

En demum quae nunc viget disciplina de ratione Ecclesiasticorum cadaver a vestiendi. Pro Episcopis defunctis haec Caeremoniale Episcoporum praecipit (*lib. II, cap. XXXVIII, n. 10*): « Loto, et terso corpore, clerici familiares, seu alii ecclesiastici viri, cum Magistro Caeremoniarum, induant illud primum vestibus ordinariis usque ad rochettum, deinde sacris vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus, hoc est caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, manipulo, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici, ac etiam pallio cum spinulis, si erit Archiepiscopus, vel alias utens pallio, et ponant super pectus eius crucem aliquam, quam manibus teneat ». Pro Sacerdotibus Diaconis, Subdiaconis et pro Clericis minoribus, haec ordinat Rituale Romanum (*Tit. VI, cap. I,* « De Exequiis » *n. 11, 12, 13, 14*):

« Sacerdos, aut cuiusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali, vel clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, seu planeta violacea sit indutus. Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextera annectatur, et dalmatica violacea. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella. Alii praeterea inferiorum Ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent, singuli praedicti cum tonsura, ac biretis suis ».

Ceterum notandum est, nullum extare strictum praeceptum sepeliendi cadavera eiusmodi habitu, ideoque S. Rituum Congtio hac super re interrogata, respondit hoc decreto *in una Marsorum,* die 12 Nov. 1831 (**2682** - 4669): « Servetur cuiusque loci consuetudo »; proindeque ubi mos est Ecclesiastici cadaver sacris paramentis induendi pro tempore tantummodo, quo expositum manet, talis usus servari potest.

II. Quare cadaver Sacerdotis alio modo quam cadavera fidelium, et quali, seu in Ecclesia seu in sepulcro deponatur, et quomodo tam ad Ecclesiam quam ad coemeterium deferri debeat?

Haec breviter ad hunc alterum quaesitum respondemus. Tametsi relativa desiderentur documenta, certum videtur, iam a remotissimis temporibus, regulam servatam fuisse, ut Sacerdotum defunctorum corpora, sive in Ecclesia, sive in sepulcro, ita collocata fuisse, ut caput ex parte Altaris inveniretur, pedes autem ex parte ianuae. De hoc fidem facit Burcardus Caeremoniarum Apostolicarum Magister, qui in suo *Diario* funus describens Nicolai e Comitibus Corradi, electi Archiepiscopi Compsani ait: « Ascendimus per viam planiorem, videlicet ante Capitolium, et intravimus per

portam lateralem Aracoeli. Guardianus locavit se versus portam, et Crux versus Chorum voluit immutari, asserens, sic apud eos esse consuetum. Ego nihilominus fieri feci, quod feretrum poneretur more consueto, videlicet pedes versus portam et caput versus altare maius. (Cf. *Casimiro, Mem. hist. Eccl. et Coenobii Aracoel. pag. 306*) ».

Laicorum cadavera, e contrario, semper deposita fuere pedibus ad Altare conversis, capite vero ad ianuam. Haec nunc etiam est regula servanda, prout a Rituali Romano declaratur (*Tit. VI, cap. I, n. 17*). Huius regulae ratio, quam rerum liturgicarum periti afferunt, est id peragendum esse, ut dignitas Sacerdotis significetur, qui solus facultatem habet dorsum ad Altare vertendi tempore S. Sacrificii et aliarum sacrarum functionum. Quamvis haec ratio sufficiens videatur, tamen verius diceretur differentia in hoc consistere, quod significari potius velit, Sacerdotem ob id praecise quod est Sacerdos, ex Altari procedentem ad populum dirigi; dum fideles ex ianua ingredientes ad Altare procedunt: hinc pedes Sacerdotis ad ianuam conversi inveniuntur, pedes laici ad Altare.

Modus vero cadaver per viam deferendi, idem est pro Sacerdotibus ac pro laicis, quia naturalis incessus id fert, ut pedes anterius moveantur quam caput; innaturalis ergo res esset cadaver cuiscumque deferre capite anterius converso, pedibus retro. Nec valet commoditatis ratio, quia agitur de incommodo minimi momenti, si res, prout naturalis actio postulat, procedat. Quod dicitur de delatione ad Ecclesiam valet et pro delatione ad Coemeterium.

III. Quid de campanae sonitu pro expiratione Rituale praescribat, uti de ornatibus feretri, quidque de Parochi iussione iudicandum?

Rituale Romanum (*Tit. V, cap. 8, n. 4*) praecipit ut, ubi consuetudo servatur, campana pulsetur, cum infirmus animam Deo reddidit; id vero ad hoc prae-

cipitur, ut moneantur fideles, tempus esse Deum deprecandi pro anima illius defuncti. Hic usus maxima gaudet antiquitate. Id testantur plura antiqua Ritualia; S. Carolus Borromaeus illum servandum iubet in sua Dioecesi Mediolanensi « ut a fidelibus pro mortuo oratio fiat (*Synod. Provinc. III Mediolanen*) ».

Certum quoque nobis videtur tale signum dari posse et diebus solemnioribus ; namque in casu non agitur de funebri aliqua functione annuncianda, sed simpliciter de aliquo signo faciendo, illi simile, putamus, quod sub nocte ubique fere ad preces pro defunctis fundendas datur, et nullibi prohibetur etiam diebus maximae solemnitatis, ut fideles admoneantur de animae illius transitu, ut pro ea Deum exorent.

Circa feretri ornamenta Rituale Romanum (*Tit. VIII*) ita se exprimit : « Neque permittant (Parochi) ut pallia aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri vel tumbae adhibeantur ».

Deinde, communem usum attendentes, et Rituales Romani leges, dicimus : 1° circa feretrum ardere debent cerei candelabris infixi, ad hunc tantummodo usum destinatis; 2° feretrum cooperiri debet culcitra, nempe nigri coloris panno, in medio crucem albi coloris, seu opere phrygio depictam habente, et in quatuor angulis imagines morti allusivas; 3° poterunt praeterea ad latera et pedes defuncti stemmata gentilitia apponi, decorationes, etc. quae ad defuncti qualitatem et dignitatem designandam inservire possunt.

Demum, quod casum propositum attinet, respondendum censemus, Parochum bene se gessisse cum aes campanum pulsari iussit, postquam Sacerdos Carolus animam Deo reddidit ; errasse vero cum feretrum capite inverso deferendum voluit ; male quoque egisse in usu candelabrorum Altaris circa feretrum.

Perpendenda manet Parochi iussio Calicem aptandi una cum Patena inter defuncti Sacerdotis manus. Uti iam vidimus, hic usus antiquissimus est, et in-

troductus fuit ad sacerdotalem dignitatem denotandam. A S. Rituum Congregatione vetitum id quondam fuit ; at recens eadem S. Congregatio interrogata circa liceitatem istius consuetudinis, decreto diei 23 Maii 1846, *in una Tuden.*, respondit declarans talem consuetudinem *tolerandam esse, utpote antiquitati conformem* (**2915**-5050) ; verum decreto d. d. 8 Iunii 1899, *in una Gadicen.* monebat id permitti « dummodo Calix adhibeatur qui Missae non inserviat ». Si ergo Parochus, ut videtur, Calicem non adhibuit ex iis qui ad Missae Sacrificium inserviunt, consuetudine stante, bene apponere potuit Calicem loco crucis in manibus defuncti Sacerdotis Caroli.

Si vero eo in loco consuetudo non faveret, abstinendum profecto illi erat, ne novitas admirationem pareret.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Februario 1900 propositae.

PROPOSITIO.

Festum dupl. 1 clas. celebrandum ex Indulto in Domica proxime sequenti, impeditum per accidens potest ne eo anno recoli in die sua propria, seu anticipari ?

SOLUTIO.

Ni fallor, casus praesens festa respicit quae, a sua die permutata, ne abeant in gravamen populorum fixe reportantur in Dominicam proxime sequentem, ut Fideles tunc eorum memoriam servent cum Ecclesia ac venerentur ut prius, quiu ulla sit imminutio in eorum cultu. Quoniam

autem haec dierum substitutio ordinatur *extra regulas communes*, oportet igitur in casu ut accedat peculiare Indultum, quod rem componat, ut v. g. Literae Apostolicae in forma Brevis super observantia et reductione festorum pro utriusque Siciliae regno (1). Sed si indultum praetermisit modum agendi, quando per accidens eorum celebratio impediatur in Dominica assignata, nihil magis aequum est quam inquirere cum *Ephem. nostris*, num Duplex I cl. e die sua perpetuo amotum, possit accidentaliter reduci in suam pristinam diem propriam et recoli, quando nempe in nova sede sua impediatur, vel nedum sic eo anno anticipetur, potius transferri debeat in primam sequentem diem liberam iuxta solitum? En tota quaestio.

a) Si percurras novam decretorum collectionem, casum invenies fere similem. « Festa autem Patronorum principalium, inquit Pius Papa V in suo Brevi ad utriusque Siciliae Ordinarios, singularum Civitatum, Oppidorum, et Locorum, quibus adiunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus, transferantur cum respectiva officiorum et Missarum celebratione ad proximam diem dominicam..... » (2).

Occasione autem illius Brevis, interrogata est S. Rituum Congregatio, nimirum: « 2. An festa Patronorum principalium haberi debeant tanquam festa mobilia? — 4. An, translato festo Patroni principalis in diem dominicam, transferatur etiam tota Octava, vel reliqui dies Octavae, si supersint? — 5. An simul cum festo Patroni principalis in diem dominicam, transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia indultia et prohibitiones Missarum in Oratoriis privatis etc. eidem festo adnexae? —

(1) S. R. C. 10 Apr. 1818, n. 2589 (4551).
(2) S. R. C. 10 April 1818. n. 2589 (4551).

7. De quo faciendum officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem festi Patroni principalis in diem dominicam ? » (1).

Quid autem, specialiter a SSmo Domino nostro deputata cum facultatibus etc., respondit et declaravit ? Ad 2, Negative, cum huiusmodi festa certis Dominicis infra eorumdem Octavam sint perpetuo assignata, et nisi per accidens transferenda sint. — Ad 4, si festum fiat in Dominica fixe assignata, retinet integram Octavam, quia haec habetur ut dies propria; ea vero accidentaliter impedita, si ulterius sit transferendum, Octava perit. — Ad 5, Affirmative, quia Dominica, in qua festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset dies propria. — Ad 7, faciendum officium de Feria, nisi aliquo festum prius translatum reponendum sit » (2).

Item, ad dubia decidenda : « 2. Cum festum Patroni principalis alicuius Loci transferendum sit in Dominicam proxime sequentem sub ritu dupl. I cl., an Octava transferenda sit....? — 4. An Parochi teneantur in posterum applicare Missam Parochialem, diebus quibus sublatum est praeceptum audiendi sacrum » ? Quid rescribendum censuit ? « Ad 2, affirmative, quia Dominica in qua fixe celebrandum in posterum erit festum principalis Patroni, censetur et evadit dies propria. — Ad 4,.... Quo vero ad festa Patronorum, cum ista reponenda sint in Dominicam infra Octavam tanquam in diem propriam, simul cum Officio et Missa transferenda etiam est solemnitas tam quoad forum quam quoad chorum » (3).

Ex quibus liquet : 1°. Dominicam proxime venientem

(1) S. R. C. 18 Oct. 1818, n. 2591 (4553).

(2) Ibid.

(3) S. R. C. 18 Oct. 1818, n. 2592 (4554).

post incidentiam Patroni principalis, iam fieri et evadere eius sedem propriam et fixam in perpetuum; 2° pristinam eiusdem Patroni diem non ullo modo deinceps ad illum pertinere, sed esse diem liberam in qua nihil de praefato Patrono remanet, neque officium, neque Missa, neque Indulgentia, neque feriatio, neque ulla quaecumque solemnitas, aut aliqua cum eo affinitas; et 3° non posse Patronum impeditum per accidens, inibi eo anno recoli seu anticipari, cum asserit Congregatio de Feria esse agendum in illa sua die antiqua, vel de aliquo festo *prius translato*, quin ullo modo eius anticipationem supponat permissam. Ergo ex decretis supra allatis nedum habeat ius ad eius celebrationem eo anno faciendam in sua pristina die, Patronus ab ea prorsus excluditur in sempiternum; unde iam hoc titulo anticipari nequit, etiam per accidens impeditum, absque violatione horum decretorum.

b) Adde decreta sequentia, quae ducent, licet diverso modo, ad eamdem conclusionem. Cum Episcopus Aliphanus dubitaret, an dispositio supradicti Brevis transferendi in Dominicam sequentem festa Patronorum principalium intelligenda sit quoad solemnitatem extrinsecam tantum, vel ad litteram, ita ut una cum Officio et Missa in Dominicam sequentem, tamquam in diem propriam, reponi debeant, et similiter Episcopus Tarentinus haesitaret, num ea Dominica, ad quam fieri debeat translatio, habenda sit ut dies fixa aut mobilis ad effectum celebrandi eadem festa cum vel sine Octava, id petierunt declarari. Ad quod S. R. C. respondit: « Ad 1, Brevis dispositionem accipiendam esse ad litteram, videlicet de perpetua translatione festi principalis Patroni tam quoad officium et Missam quam quoad extrinsecam solemnitatem, ad Dominicam infra Octavam, quae habenda erit ut dies propria cum omnibus privilegiis et praerogativis quibus gaudent festa

Patronorum principalium » (1), et « Dominicam, in qua perpetuo reponendum erit festum Patroni principalis, habendam esse ut diem propriam, ac proinde gaudere Octava et omnibus privilegiis quae festis Patronorum principalium conveniunt; octavam vero perire, si ob aliquod impedimentum per accidens festum sit transferendum » (2).

Ex quibus patet festa, de quibus in casu, fixe reposita in Dominica proxime sequenti: 1° haberi tanquam in sua die propria, quin aliquid servent de sua sede antiqua ad eorum repositionem, si accidentaliter in Dominica impedirentur; 2° non esse alterius conditionis sive peioris sive melioris quam reliqua festa in sua die per accidens impedita, et ideo subiecta esse debere eisdem regulis. Si autem Rubricas interroges, statim videbis semper et ubique pro translatione aliqua, quaecumque sit, indicari primam diem *in futuro* non impeditam, et nullibi quaestionem esse de anticipatione. Confer v. g. Tit. X. *De Translatione Festorum*, n. 1, 2 et 3; deinde Rubricas speciales respicientes *Proprium de Tempore* et signanter pro Adventu, pro Epiphaniae Octava, pro Dominicis a Septuagesima ad Quasimodo, Ante Vigiliam Pentecostes, et pro Festo Corporis Christi; item Rubricas speciales Proprium Sanctorum regulantes et positas sive ante festa Adventus sive ante Annuntiationem, Festum Compassionis B. M. V., festum Commemorationis S. Pauli etc. Ergo, ne una quidem vice stante pro aliquo festo anticipando, non admitti potest in casu, duplex 1. cl. impeditum in Dominica assignata, tunc anticipari debere et recoli hoc anno in sua pristina die, quia vacua; hoc esset contra Rubricas quae expresse assignant diem primam sequentem liberam.

(1) S. R. C. 18 Oct. 1818, n. 2593 (4555).
(2) S. R. C. 18 Oct. 1818, n. 2595 (4557).

c) Lege pariter Rubricistas melioris notae: quid docent? « Cum in Breviario Romano usus huiusmodi anticipandi festa plane sit incognitus, eiusdemque Rubricae in primam *sequentem* diem non impeditam festa esse transferenda clament constanter et ubique, nedum arbitramur esse anticipanda in *praecedentem* diem vacuam quae transferri debent... Qui enim romanus est, romano debet vivere modo » (1). Itaque, quando Episcopus Baiocen. supplicavit ut in sua dioecesi solemnitas S. Patronorum cuiuslibet paroeciae celebrari valeat Dominica proximiori non impedita, sive ipsa festum praecedat sive subsequatur, S. R. C. respondit: « *Pro facultate* transferendi festa, de quibus in Precibus, ad Dominicos dies non impeditos festo altioris ritus vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnis de festo translato » (ut quo meliori modo sane rarissima fiat anticipatio), et addit: « quatenus vero Dominica proximior *sequens* sit impedita, tunc festum, ut supra, fieri permittitur in Dominica proximiori praecedenti » (2), quae iam est quaedam gratia ad eliminanda incommoda, quae in dioecesi praefata exoriebantur protrahendo dictorum Patronorum celebrationem, ut patet ex expositione dubii. Imo declarat eadem Congregatio *Indultum huiuscemodi* restringi, Dominica sequenti impedita, ad solam Dominicam proxime praecedentem, quando etiam expresse anticipatio permittitur (3). Unde si tacet indultum, iam non potest anticipari ullo modo.

Casus aliunde similis tractatur in *Ephem. Liturg.* anni nuper elapsi. Breve Apostolicum anni 1893 pro aliquibus dioecesibus regni Borussiae praecipit ut festum Praesen-

(1) Cavalieri, Tom. I, cap. 6, dec. 5, n. 15.
(2) S. R. C. 11 Mart. 1837, n. 2061 (4802).
(3) S. R. C. 6 Mart. 1896 ad 5 in *Quebecen.*

tationis B. M. V. e loco suo, nempe a 21 Novembris, transferatur in feriam IV penultimae anni ecclesiastici hebdomadae, adiecta ei feratione. Super quo quaeritur, an festum Praesentationis hac feria per accidens impeditum, restituendum sit hoc anno diei suae pristinae, hoc est 21 Novembris? Quid statuunt *Ephemerides*?

« Ex Brevi Apostolico hoc certo constat, festum dictum e die sua fuisse amotum; sed impeditum, esse diei suo restituendum Breve non dicit. Amotio autem est perpetua, cumque per Breve sit statuta alia, haec stabilitatem possidet maiorem, quam si per Episcopum iuxta Rubricas facta fuisset. Atqui, assignatione alicuius festi semel facta per Episcopum, festum diei suo pristino restitui nequit, nisi unico in casu, quod dies ille liber evaserit; ergo a fortiori festum per Breve Pontificium mutatum, diei suo pristino restitui non poterit. Imo, uti iure credimus, restitui neque poterit, si dies ille liber evaserit; nam ratio amotionis, uti ex Brevi infertur, non fuit aliquod impedimentum, sed voluntas Superiorum, et devotio populi... hinc, quando praedicta feria IV sit libera, in ea Praesentatio recolitur, quamvis etiam dies 21 Nov. non sit impedita.

« Iudicamus ergo feriam praedictam... esse in loco vere diem propriam festi Praesentationis, et diem 21 Nov. nihil amplius esse, ac sua iura in dictam feriam translata. Consequenter festum, seu melius officium ea in feria impeditum transferendum esse in aliam diem primam *sequentem* liberam iuxta Rubricas, non vero in 21 Nov., quae pro dicto festo iis in locis nihil est amplius, nisi ea sit eadem dies prima sequens libera.

« Hinc conclusio finalis, quam certam credimus, festum Praesentationis occurrens vel cum alio festo dupl. II cl., vel cum die aliqua Octava, fieri non potest, quod attinet officium, et transferendum est in primam *sequentem* diem

liberam » (1). Quapropter in casu nostro irregulare foret et contra Rubricas, celebrare festum per accidens impeditum in sua die pristina, e qua amotum est in perpetuum, licet eo anno vacua.

d) Denique ex sensu liturgico non potest circa idem obiectum teneri aliquid minus tanquam permissum, si aliquid maius prohibetur. Porro anticipatio etiam ipsius solemnitatis, quae est pro populo, prohibetur, si deficiat expressa Indulti permissio, ut probavimus supra. A fortiori ergo vetatur anticipatio officii, quod Chorum solum respicit. Quae argumentatio maiorem vim recipit a Sacra Rituum Congregatione.

Interrogata, an festum S. Patroni, quod ex dispositione S. M. Gregorii Papae XVI transferri debet ad Dominicam proxime sequentem, si haec Dominica praepedita sit, amandari possit ad aliam insequentem Dominicam, vel die propria celebrandum sit? S. R. C. respondit: « transferendum cum Missa tantum ad alteram Dominicam non impeditam » (2). Ergo a pari festum per accidens impeditum in Dominica assignata modo stabili, non redire potest et recoli eo anno in sua antiqua sede, sed transferri debet ulterius in prima die libera; nam ubi eadem est ratio, ibi valet eadem dispositio. Ita credimus, salvo meliori iudicio.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana,
Parochus loci vulgo dicti Lannes
(dioecesis Lingonensis).

(1) Anno 1899, pag. 364

(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951 ad 12 (5102).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE APRILI 1900.

Episcopo solemniter celebrante, quinam sit ordo, uti et ratio, dandi pacem inter ministros sacros, collatis inter se Rubricis Caeremonialis Episc. Lib. I, Cap. 23, num. 3 et 4, ac Decretis?

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi N.* **De Initiis Scripturae in officio reponendis.** In Dioecesi N. ex privilegio a S. M. Leone Papa XII concesso, a Dominica Resurrectionis ad Sabbatum ante Pentecost. Officia ritus semid. et dupl. minoris cum uno tantum Nocturno et ideo tribus lectionibus ad Matutinum aguntur. Quarum vero lectionum 1. si non est propria, de Scriptura sumitur, 2. et 3. ex historia seu legenda Sanctorum (ex tribus duae).

Accidit autem saepe saepius, uti anno currente 1900; non posse Fer. IV, et VI necnon Sabbato post Dominicam infra Octavam Ascensionis reponi initia Script. quae his diebus assignantur. Anno enim praedicto Fer. IV agendum est officium S. Leonis Pap. I translatum a die 11 Aprilis, quod habet lectiones 1 Noct. proprias, Fer. VI autem et

Sabb. fiet Officium *de ea*, in quo 3 lectiones, iuxta perlongam consuetudinem, leguntur de Homilia Fer. et Sabbati.

Ubinam reponenda erunt igitur *Initia* his diebus assignata? Hodiernus Kalendarii moderator *Incipit* Fer. IV statuit reponere Fer. II pro 1. lectione S. Augustini Ep. Cantuariensis, quia Fer. III seq. agitur Festum translatum habens lectiones 1 N. proprias, initia autem Fer. VI et Sabbati in 1. Nocturno diei Octavae Ascensionis, pro tribus lection. propriis huiusce diei.

Hinc quaeritur an bene sic ordinata sint haec omnia et si minus recte quomodo ordinanda essent?

Resp. Casus propositus aliquid novi habet, ut similis numquam nobis resolvendus acciderit. Agitur enim de privilegio regulas communes prorsus excedente, pro quo certa omnino dari nequeat norma. Nihilominus arbitramur duplicem dari posse aequam solutionem, quam hic exhibemus. *a*) Initium feriae IV anticipari potest feria secunda praecedenti, aliud feriae VI in feria tertia, et tertium Sabbati in feria quarta, si tamen feriis III et IV officium fiat dup. minus de aliquo translato (puta de aliquo ex Doctoribus) lectiones non de Scriptura, sed proprias habente. Ratio est, quia omitti non possunt lectiones I Nocturni de Octava die Ascensionis, quae propriae sunt, idque iuxta Decretum *Einsidlen.* 2319 (4044) De lectionib. Dub. 3. Etenim Initia impedita, pro quorum repositione desint dies liberi, dicenda sunt in festis ritus duplicis, sive maioris sive minoris, non tamen classici, ritu, dignitate aut solemnitate inferioribus. Quod si officium translatum in feriam III ritus fuerit duplicis mai. vel classici, hoc in casu standum necessario esset, privilegii natura inspecta, dispositioni ordinatoris Calendarii, quamvis Decreto citato adversae. Ratio est, quia in die Octava Ascensionis, non

videtur vim habere concessio; etenim Dubium propositum verba facit de primo Nocturno; ergo tria Nocturna supponit. Nunc autem iuxta Decretum citatum, anticipando, duo Initia, oporteret alterum in festo translato S. Leonis, alterum in die octava Ascensionis reponere. Verum in primo Nocturno diei octavae Ascensionis Initium habere locum nequit, quia una lectio esset de Scriptura, aliae duae de festo, quod est inconveniens. Si autem dicas Initium Sabbati cum II^{a} et III^{a} lectione sequentibus posse recitari in dicta Octava, reponimus, ex hoc gravius oriri incommodum, cum pro duorum Initiorum anticipatione in diebus diversis fieri deberet iactura lectionum, quae duorum officiorum sunt propriae, dum e contrario lectiones propriae unius officii eodem die recitari possunt. Hoc agendi modo stricte adhaerendum credimus privilegio dicendi *unam* lectionem de Scriptura et *duas* de Sancto.

b) In officiis trium lectionum non praescribitur ut una semper, aut semper duae esse debeant lectiones de Scriptura, sed nunc una dicenda est, nunc duae, secundum quod Sanctus occurrens unam habeat aut duas lectiones proprias. Item haud rarus imo frequens est casus, in quo tres historicae alicuius Sancti lectiones ritus duplicis vel semiduplicis in simplicem redacti ad unam reducantur. Nunc autem, si officiis translatis in feriam III et IV relinqui velint lectiones eorum propriae, tunc in Dominica infra Octavam Ascensionis recitari posset pro prima lectione Initium Dominicae occurrentis, pro secunda Initium feriae IV sequentis, et pro tertia (ex tribus una) historia Sancti: in feria II pro prima lectione Initium feriae VI, pro secunda Initium Sabbati, et pro tertia (ex tribus una) historia S. Augustini Cantuariensis, de quo officium agitur.

II. *E Catania*. **De Diacono primo, Episcopo assistente cum stola.** In num. 9 prox. praeteriti anni (pag. 583, V)

dictum est, Diacono induendam esse stolam subtus Dalmaticam, casu quo ab Episcopo danda sit benedictio solemnis cum Sacramento immediate post Vesperas. Nonne stolae delatio contraria est Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. 33, n. 20?

Resp. Satis notum ponimus, necessitatem stolae pro actibus quibusvis circa Sacramentum Eucharistiae exercendis haud semper extitisse, sed paulatim fuisse inductam in disciplina Ecclesiae. Certe impraesenti stola recensetur inter praecipua ac necessaria indumenta Celebrantis: ut, quacumque haud obstante necessitate Missa fieri nequeat, si inter sacra paramenta desit stola. Ita nemo admittit, aperiri sine stola posse tabernaculum, Eucharistiam distribui, vasa rem sacram continentia tangi, etc. quae omnia de prima antiquitate Ecclesiae profecto non constant. Hinc Caeremoniale Episcoporum, dictae antiquitati inhaerens statuit, alterum ex Diaconis assistentibus Episcopo, Dalmatica sine stola indutum et offerre Episcopo calicem sanctum (*Lib. II, Cap. 23, n. 12*) et Ostensorium cum sacra Hostia porrigere Episcopo (*Lib. II, Cap. 33, n. 20*). Haec certa sunt et discussioni non subiacent: ut iure merito sit dicendum Dalmaticam supplere stolam. At duo hi suntne casus, qui legem constituunt extendendam ad alios similes? Primus casus respicit feriam V in Coena Domini, alter processionem Corporis Christi. Idem ne servandum in aliis similibus? In Decretum *Portugallien.* num. **2528** (4421) ad 2 quaeritur: « An retineri debeat usus, ut duo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi in solemnissima processione Corporis Christi et feria V in Coena Domini, parentur amictu et Dalmatica? Ratio est dubitandi, quia Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. 23, § 12, et Cap. 33, § 20, non meminit stolarum? » Responsio autem est: « Affirmative ». Et nota, responsionem huiusce Decreti

in antiqua Collectione ferebat : « Affirmative, saltem quoad primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus ponendum sit vel deponendum SS.mum Sacramentum ». In nova vero Collectione unicum verbum « Affirmative » insertum est, reliqua sunt expuncta. Nonne ex hoc omni cum iure infertur, servandum esse quidem Caeremoniale in suis locis relatis superius, non tamen illud legem generalem constituere? De his ergo duobus casibus non est ambigendum ; sed de aliis quibuscumque toto iure dubitari potest ex sequenti novo Decreto **Dubii**, in ultima Collectione inserto. Audias : « Quum Caeremoniale Episcoporum stolam aliquando non exigat pro Diacono deponente et porrigente Episcopo Sanctissimum Sacramentum, quaeritur: Utrum ad exponendum et reponendum Sanctissimum Sacramentum, Diaconus adhibere semper debeat stolam? Et S. R. Congregatio, re mature perpensa, votoque exquisito Commissionis Liturgicae, respondit : Affirmative; duobus tantum exceptis casibus, prout in Caeremoniali Episcoporum, Lib. II, Cap. XXIII, n. 12; et Cap. XXXIII, n. 20. Atque ita rescripsit et ab omnibus servari mandavit. 9 Iul. 1899 ». Merito proinde respondisse credimus ad Dubium nobis loco citato propositum, primo Diacono assumendam esse etiam stolam, quando immediate post Vesperas Episcopus, qui pontificalem functionem peregit, benedictionem daturus est cum SS.mo Sacramento.

Asseri potest nihilominus aliquam suboriri difficultatem ex responso ad Dubium primum supercitati Decreti *Portugallien.* quod quaerit : « An recipienda sit in praxi doctrina cuiusdam anonymi Auctoris asserentis, quod ad deponendum SS.mum Sacramentum a suo eminentiori throno parari debeant in Sacristia Sacerdotes trés, unus scilicet amictu, alba, stola et pluviali ; alii vero duo assistentes pluvialibus tantum super cottas : quorum dignior assistens deponat Ostensorium (notetur) quin utatur stola, quia (ait

ipse auctor) est pluviali indutus? » Responsum fuit vero: « Negative; et ad mentem iuxta votum Magistri Caeremoniarum: nempe vel duos assistentes sumere **Dalmaticam et Tunicellam,** vel alium Sacerdotem cum cotta et stola ponere et deponere debere Ostensorium cum SS.mo Sacramento ». Sed difficultas nulla est; etenim vides: *a*) pluviale esse indumentum ineptum pro Sacramento: *b*) stolam requiri in Sacerdote altero, qui non sit e duobus assistentibus: *c*) Dalmaticam et Tunicellam in assistentibus ex praedictis indicare Diaconum et Subdiaconum, qui induti esse debent, mere solito, omnibus et singulis, manipulo excepto, paramentis relativi Ordinis, et quidem quandocumque Diaconus paratus ponere et deponere debeat Sacramentum, sive adsit Episcopus sive alius Presbyter, dubium enim generalissimum est. Quid ergo? Certa res; etenim ex expunctione verborum, de quibus supra, et ex novo Decreto mox relato, satis abunde perspicuo, cui indubie adhaerendum, stola adhibenda est in casu nobis proposito, quae omittetur solum in duobus casibus, quos Caeremoniale ponit. Haec nostra videndi ratio.

III. *E Gallia.* **De festo Titulari haud in quibusvis Oratoriis et Ecclesiis integre celebrando.** In Oratoriis publicis, iuxta recens Decretum Gen. in Ephemeridibus Liturgicis citatum et partim relatum (*n. 11 an. pr. elapsi pag. 690 et seq.*), aut consecratis aut solemniter benedictis, festum Titularis celebrandum est sub ritu dup. 1. cl. cum Octava; ut quid ergo Decreta **2682** ad 32, et **2915** ad 2 servata fuere?

Resp. Decretum primo citatum quaerit: « An festum Titularis Cappellarum publicarum et Oratoriorum, quae existunt in Aedibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibus Regularium domibusque privatis, celebrari debeat sub ritu dup. 1 cl. cum Credo et Octava? » Et responsum fuit: « Negative ». Animadvertendum autem, Decretum

Gen., *super festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando*, non spectare Oratoria, de quibus supra, uti ex ipso titulo Decreti abunde patet. Nam Oratoria, quae sunt in Episcopiis, Seminariis etc. non sunt Ecclesiae, *per se*, neque Oratoria publica, quamvis privilegiis plus minusve uti illa gaudeant, sed tantum Oratoria semipublica. Sane pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium festa, illas sacras Aedes esse intelligendas, ait Decretum Gen., quae pro Missis celebrandis sacrisque aliis etiam solemnioribus functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatae, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui, libere plus minusve deserviant. Nunc autem Cappellae, de quibus supra, saltem ordinario, nec consecrantur nec solemniter benedicuntur, nec publico fidelium usui libere, plus minusve deservire possunt; ergo neque Ecclesiae sunt, neque Oratoria publica. Non quidem ambigendum, aliqua ex iis Oratoriis quandoque consecrari, vel solemniter benedici, sed hoc veluti exceptio est, eoque in casu Titularis festum celebrabitur; sed cum id communiter non fiat, non est cur negari debeat principium, non esse in illis festum Titularis recolendum. Stat ergo Decretum, quod expungendum non erat.

Deveniamus ad alterum. Agit hoc Decretum de aliquibus veris Ecclesiis, quae tamen Rectorem non habent, sed tantum aliquos Sacerdotes, qui in illis pro commodo populi aliquas functiones exercent. Non ergo constat esse eos canonice ab Episcopo institutos, cum Ecclesiae quoque nec iure proprio se gubernent, et sint subiectae alteri. Nunc autem quaerit Decretum, an eae possint celebrare Officium cum Missa de suo respective Sancto Titulari sub consueto ritu, an sint potius Cappellae publicae? Quid respondere S. R. C. iure poterat, nisi « negative ad utrumque? » Namque Ecclesiae sunt, non ergo Cappellae etsi

publicae; sed, nullum ipsis habentibus Clerum, quomodo recitari posset et a quo Officium, seu quomodo et a quibus integrum festum celebrabitur? Stat ergo etiam hoc Decretum, neque decebat expungi.

IV. *E Collegio Hispanico Urbis.* **De genuflexione ad Orationem in officio Vigiliae occurrentis in ieiunio Adventus.** Debet ne chorus genuflexus manere ad Orationem, tam in Missa, quam in Officio Vigiliae Immaculatae Deiparae Conceptionis, quando ea incidat in diem ieiunii sacri Adventus?

Resp. Certa Rubrica est: « In feriis Adventus . . . et Vigiliarum quae ieiunantur, dicuntur preces *flexis genibus* (*Rubr. spec. Breviarii post Laudes fer. II*). » Neminem vero latet, Orationem Oficii post preces habere locum: in qua proinde chorus genibus flexis remanere debet; quamvis Officium faciens stans illam dicat. Quod de Officio, et de Missa dicendum: « In choro **genuflectitur** . . . in Missis feriarum Adventus... et Vigiliarum quae ieiunantur (*Rubr. Gen. Missalis Tit. XVII, n. 5*). » At hic quaeritur, utrum chorus genuflexus esse debeat in Vigilia Immaculatae Conceptionis, non ratione ipsius Vigiliae, sed ratione feriae VI aut Sabbati Adventus, in altero ex his diebus dicta occurrente Vigilia, quia dictis diebus ieiunatur. Reponimus: aut supponitur in dicta Vigilia esse propter eam ieiunandum, aut non. Si primum, nulla est quaestio: si alterum, quaesitum resolvimus negative, et ratio sequens est. In Officio et Missa dicendis non respicitur nisi ritus diei, in quo festum aut Vigilia incidit, sed ritus tantum festi aut Vigiliae quae recolitur, sed de qua fit Officium. Ita ex. gr. si die 29 Nov., quae est Vigilia S. Andreae, occurrat duplex minus vel maius, in Officio duplici non respicitur ritus ferialis Vigiliae, licet de ea agenda sit commemoratio et Evangelium in fine, nisi alia Missa conventualis dicenda sit in choro. A pari ergo in casu: nihil interest, si

Vigilia Conceptionis Imm. incidat in feriam, quae ieiunatur; quia non de hac Officium agendum supponitur, sed de Vigilia, quae in hypothesi non ieiunatur. Ergo respici non debet feriae ieiunandae ritus, sed tantum Vigiliae non ieiunandae.

Hic tamen in memoriam Consociatorum revocamus, sustinuisse nos, salvo quidem meliori iudicio, in Vigilia Imm. Conceptionis ad Orationem non esse flexis genibus remanendum, quod in illius institutione de ieiunio nullum fiat verbum. (*v. Ephem. Liturg. ann. 1896, pag. 618. Dub. XIII: 1897, pag. 306, Dub. IV. et 362, Dub. XV.*) Super qua sententia, haud pluribus grata, postea redivimus, atque rem dubiam in libertate reliquimus opinantium. Tandem quaestionem in Commissione Liturgica privatim proposuimus, quae pro genuflexione stetit. Aliquem etiam ex Officialibus Secretariae S. Rituum super eadem re consuluimus, qui et in Commissionis Liturgicae sententiam propendit. Quod vero spectat gravissimam rationem sententiae Ephemeridum faventem, responsum est, nova ieiunia ex tristitia temporum non imponi, hinc et in dictae Vigiliae institutione nihil dictum est, supponendam esse tamen dispensationem. Rebus sic stantibus, facile comperitur satis esse tutius, quamvis non adhuc omnino certum, Vigiliam Imm. Conceptionis considerari posse tamquam ieiunium habentem, sed dispensatum: hinc consectaria circa genuflexionem et paramentorum colorem.

VI. *E Gallia.* **De iure ad primam commemorationem in Vesperis.** Ubi hoc anno 1900 fit de Sacra Familia (dup. mai.) in Dom. III. post Epiphaniam, quomodo in Sabbato ad Vesperas, quae sunt de S. Familia, 1° commemoratio agenda de Ss. Fabiano et Sebastiano, 2° de S. Agnete, cum utrumque festum sit duplex? Nonne in recitatione Vesperarum inter festa eiusdem ritus, ceteris paribus, faciendum est semper 1° de officio in primis Vesperis, 2° de

officio in secundis Vesperis? Cur non eadem valet regula in commemoratione quando Vesperae sunt totae de uno officio, quod reducit *unum et alterum* ad simplicem commemorationem? Non intelligo quomodo officium quod haberet Capitulum, seclusa S. Familia, commemoratur post officium quod haberet tantum Psalmos.

Resp. a) Prima comm. debet esse in casu de festo Ss. Fabiani et Sebastiani quod concurrit, et non de S. Agnetis quod concurrere nequit; illud enim, ius habet ad Vesperas, non autem istud. Nec dicendum, festum Ss. Fabiani et Sebastiani in secundis Vesperis impediri, sicut in utrisque impeditur festum S. Agnetis, ut sint proinde eiusdem fere conditionis; namque illud habuit officium, non vero istud, quod veluti radicitus impeditum nonnisi commemorationes habere potest, cum sit simplificatum: quod vero festum non habet officium, nec Vesperas habere debet: *b*) Comm. Ss. Fabiani et Sebastiani praecedere debet quia est festum duplex, et uti tale recolitur; sed festum S. Agnetis in casu non est duplex, sed simplificatum et tamquam simplex agitur. Porro sicuti festa superioris ritus praecedere debent, quae inferioris sunt, ita primum festum commemorari debet prius quam alterum. *c)* Praecedere demum fas est comm. Ss. Fabiani et Sebastiani ex certa, explicita perspicuaque lege Rubricarum, quae iubet, ut « quando contingit fieri plures commemorationes, illae semper praeponantur quae ad officium pertinent, cuiuscumque sit ritus *(Tit. IX, n. 11)*. « Atqui Ss. Fabianus et Sebastianus ad officium pertinent, et non S. Agnes; ergo.

Quod primam attinet rationem dubitandi, reponimus partem illam officii, quae sub nomine Vesperarum venit, non in solo Capitulo et reliquis sequentibus consistere, sed etiam in psalmis, qui Capitulum praecedunt. Hinc propositio, qua dicitur, *inter festa eiusdem ritus, ceteris paribus, faciendum esse semper 1° de officio in primis, 2° de officio*

in secundis Vesperis, non est absolute vera; quia Vesperae sunt divisae inter duo festa, praecedens et subsequens, proindeque oppositum, et iure, dici posset. Et sane, ubi non fit de Sacra Familia, possent duo praefata festa Ss. Fabiani et Sebastiani ac S. Agnetis inter se concurrere, nonne, cum omnia sint paria, fit, uti semper, 1° de officio in secundis Vesperis praecedentis, 2° de officio in primis Vesperis sequentis? De secundis namque Vesperis praecedentis fit usque ad Capitulum, et a Capitulo et deinceps de primis festi sequentis. Nonne ergo propositio interrogans allata postiusquam vera, falsa est? Ambo enim festa, praecedens et sequens, supponuntur paria in omnibus; ergo pari ratione tractantur in Rubricis, ut dimidium Vesperarum sibi vindicet unum et alterum, sed praecedens primam, sequens secundam partem: quamvis praecedens iterum postea compleatur per commemorationem, quam natura primae partis Vesperarum non fert. Et hoc satis sit pro occurrentibus officiis.

Quod vero spectat alteram dubitandi rationem, distinguendum est inter commemorationem quae pertinet, et commemorationem quae non pertinet ad officium: quod cl. Consociatus non videtur admittere velle, sed admittendum est certo impraesenti ex Rubrica. Officium de Sacra Familia, in casu, non reducit *unum et alterum* festum, Ss. nempe Fabiani et Sebastiani ac S. Agnetis, ad simplicem commemorationem, sed tantummodo festum S. Agnetis, quae occurrit eadem die cum eadem S. Familia. Eo quod festum Ss. Fabiani et Sebastiani die praecedenti officium habuit, dum S. Agnes cum S. Familia occurrens nequeat officium habere, hinc impedimentum S. Familiae efficit, ut S. Agnes simplificetur, seu non officium habeat, sed tres tantum commemorationes, nullumque proinde ius ad Vesperas; sed, quod attinet officium Ss. Fabiani et Sebastiani, hoc non fuit a S. Familia simplificatum, sed cum suis iuribus re-

lictum uti erat antea, et Vesperas tantum alteras impedivit. Hinc commemoratio huius festi et com. S. Agnetis sunt diversi gradus, et altera confundi cum altera non potest iuxta Rubricas; sed prima semper praecedere, altera subsequi debet. Non ergo stat cl. Consociati propositio altera interrogans, quia unius et alterius commemorationem supponit eiusdem gradus, quod falsum est, et a Rubricis absonum.

Quod ultimo autem dicit, seu *non intelligo etc.* nos revera non intelligimus. Antiqua enim principia vim amplius in praesenti, reformatis Rubricis, habere non possunt. Antiquitus sic communiter intelligebantur Rubricae et Decreta, ut officium simplificatum quod, secluso impedimento, habuisset ad Vesperas Capitulum, alteri praeferri deberet, cui psalmi tantum competerent; sed nunc nemo amplius extat, qui tale principium sustineat post Rubricas emendatas et promulgationem Gen. Decreti *Commemorationum in Vesperis*. Ceterum, re etiam in se inspecta, quid obstat, quominus id fiat quod cl. Consociatus inconveniens iudicat? Lex positiva est, illique adhaerendum, cum et suis gravibus rationibus innitatur, iam pluries expositis.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Petrovaradino in Slavonia*, Decretum in *Einsiedeln.* n **2319** (4044) ad Reliqua Dubia, Dub. 20, quaerit: « Cum in festo S. Marci et in feriis Rogationum, ex nupero S. R. C. Decreto debeat post Nonam fieri processio et cani Missa Rogationum, petitur facultas cantandi Missam Rogationum ante officium diei ut populus, qui frequentissimus adesse solet tempore matutino in Ecclesia, possit vacare laboribus? » Huic autem petitioni sequens datum est responsum: « Pro gratia, et poterit cantari Missa Rogationum ante processionem pro populi commoditate ». Ubi vides, ideo, ni fallimur gratiam concedi, quia comprobatur populi commoditas: ut deduci probabiliter possit, eamdem supponi gratiam concessam, ubi eadem est ratio. Sed fortasse dici etiam posset, si ratio concessionis esset mera commoditas populi, S. R. Cong.nem respondisse simpliciter: Affirmative, quod non fecit: ut dubia res sit. Posita autem non omissione Missae de die, ubi est dicenda, etsi unus tantum sit Sacerdos alter, posita licita celebratione Missae Rogationum, optime dictus alter Sacerdos hanc celebrare potest. Quod si postea ob supervenientem fortuito pluviam, processio fieri nequeat, nihil interest, nisi certe praevideatur.

II. *Pro eod. loco.* Antiphona pro uno officio permittitur, etsi dicta antiphona alterius antiphonae versum constituat et vicissim: exemplum habes in antiphona de Communi Martyrum tempore paschali ad secundas Vesperas; illa enim versum constituit de eodem Communi ad primas Vesperas.

III. *Pro Oppido Vivario Segobricensi.* Officium divinum, quamvis agatur de Horis parvis, semper in choro cum

aliquibus, plus minusve iuxta rationem solemnitatis, luminibus recitatur. Hinc duo saltem lumina accensa esse debent in choro, dum parvae Horae dicuntur: quod et servandum in vigilia Pentecostes. Dubium fortasse ex eo ortum est, quod Sabbatum Pentecostes Sabbato Sancto assimilatur, de quo scribit Rubrica: « Dicuntur Horae candelis altaris extinctis »; sed observanda est etiam Rubrica Vigiliae Pentecostes, quae dicit: « Dicta Nona, Sacerdos et ministri induti paramentis violacei coloris etc. etc. ». Ergo Sabbati Pentecostes similitudo cum Sabbato Sancto, non ante Horas parvas, sed post illas comprobatur.

IV. *Pro eod. loco.* In Missa eiusdem Vigiliae Pentecostes, si exponendum sit Sacramentum pro Oratione 40 Horarum, expositio, quod tempus et modum attinet, eadem ratione fit, nec plus nec minus, ut in aliis Missis.

V. *Pro eod. loco.* Sicut Reliquia Deiparae exponi nequit in eodem Reliquiario, quod Domini Reliquiam continet, dispar enim est cultus; ita in simulacro Deiparae vetitum dicendum est ponere aliquam Christi Reliquiam; ubi enim eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio, esset enim cultus disparitas, quae confusionem in fidelibus pareret, in eoque relativo subiecto tribuendo inordinationem.

VI. *Pro eod. loco.* Finita Missa, depositisque a Celebrante sacris paramentis, si minister genuflexus benedictionem accipit ab eodem Celebrante, cui ministravit in Missa, eiusque osculetur manum, nil reprehendendum habemus, cum sit actus omnino extra Missam, per se laudabilis, et apud plures religiosos Ordines in usu.

VII. *Pro eod. loco.* Verba « Dirigatur, Domine, Oratio mea », et reliqua in incensatione ultima ad solemnem Missam praescripta, non secreto sed submissa voce dicenda. Id postulant: *a*) natura verborum, quae secretum non exigunt: *b*) Aptatio verborum ad relativas incensationes, quod, si secreto dicerentur verba, satis difficile evaderet: *c*) au-

xilium memoriae, quod praestari facile potest a sacris ministris, praesertim a Diacono: *d*) denique communis ubique recepta consuetudo, ita ea verba proferendi, ut saltem dicti ministri audiant.

Nota. Dubium circa Orationem *Fidelium*, quod non intelligimus, omittimus.

VIII. *Pro Locogiaco in Dioecesi Pictaviensi.* Circa tempus recitandi psalmos praeparationis Missae ab Episcopo in Sabbato Sancto, servanda Caeremonialis dispositio est. Hora enim Nona ab ipsomet Episcopo recitari debet cum Canonicis, in sua tamen sede; praedictaque Hora absoluta, quam complet Episcopus per Orationem *Respice*, tunc tantum, post lotionem manuum, *per Diaconum et Subdiaconum paratur solitis paramentis, exceptis sandaliis et chirothecis, quibus ea die non utitur.* Solemnissima est functio, nec mirum si longius protrahatur: sic ordo legis exigit, nullusque alius ordo esse congruentius poterit. Nescimus autem quomodo Episcopus eiusque Assistentes possint satisfacere recitationi Horarum dum psalmos dicunt praeparatorios, qui nil commune habent cum psalmis Horarum, quos chorus recitat.

Nota. Omittimus Dubium de Indulgentiis SS. Scapularis in articulo mortis, quod non intelligitur.

IX. *Pro Motyca Syracusarum.* Horae Prima, Tertia et Missa Conventualis actus sunt velut antonomastice liturgici et in praecepto, non solum in se spectati, sed etiam quod attinet eorum ordinem, ut alii actus in iis intermisceri non debeant et non possint, quia quid unum constituunt, ob maximam inter se connexionem. Hinc litaniae Sanctorum, et multo minus oratio mentalis per dimidiam horam, non debent inter Tertiam et Missam interponi.

X. *Pro eod. loco.* Sedes camerales pro sacris ministris in Missa et Vesperis solemnibus sunt vetitae, quamvis sui generis et pulcherrimae: hoc est ius liturgicum. Recursus

ad auctoritatem S. R. Congregationis esset inutilis: servetur lex de scamno, quamvis ignorato, vel saltem congruo modo distinctae Sedes uniantur cooperianturque serico damasceno panno, ut scamnum videatur, et sedes camerales non comparcant.

XI. *Pro eod. loco.* Optime Sacerdotes in choro incensari possunt duplici ductu, si Canonicis, de quibus Caeremoniale Episc. (*Lib. I, Cap. 23, n. 32*), assimilari queant. Hinc propositum dubium exponendum est clarius ut possit illi fieri satis.

XII. *Pro eod. loco.* Rituale Rom. loquitur tantum de benedictione mulieris post partum, de neonato silet, licet nonnullae rituales formulae et prolem respiciant. Si ergo mulier iuxta legem benedici velit, prolisque simul, quam per se vel per alium ferat, nil in hoc videmus legi contrarium.

XIII. *Pro eod. loco.* Solemnes in obitu exequiae semel tantum sunt privilegiatae, in uno videlicet tridui die libera: aliae nullo gaudere possunt privilegio, nisi de die tertia agatur, quae privilegiata quoque est, non tamen sicut dies obitus. Hinc per tres dies exequias agere, nisi ritus permittat, est aperta legis violatio.

XIV. *Pro eod. loco.* Licitum et laude dignum est in fine Missae addere notam Laudem *Dio sia benedetto*, quam post illam commendat et Indulgentia ditavit Leo Pp. XIII. Si autem agatur de ea Laude post Missam conventualem, sive cantata, sive lecta fuerit, neque prohibita videtur, cum plures Ecclesiae hanc consuetudinem habeant etiam in Urbe, inter quas Ecclesia Lateranensis. Hoc unum pro certo habeas, eam esse per se laudabilem, et non constare de vetito; incongruum tamen videtur vernaculo idiomate eam recitare inter divina officia. Inconveniens est tamen, ut chorus dictae Laudi respondeat, quae in alio altari dicitur.

Chorus sibi attendere debet, suaeque Missae conventuali, non aliis.

XV. *Pro eod. loco.* Novitius tertii Ordinis, quod suam expleto tyrocinio professionem negligat, cessat ne esse Novitius? Haud certe, nisi id a legitimo superiore declaretur; ergo privilegiis, quibus Novitii fruuntur, et ipse adhuc fruitur, seu Absolutionis Generalis, Benedictionis papalis, et Indugentiarum iuribus.

Nota. Rubricas personae privatae facere non licet, sed Rubricae authenticae citari vel referri possunt, uti Decreta, et auctorum probatorum sententiae. Ceterum, Rubrica, de qua Dubium, ubi inserenda?

XVI. *Pro Rota Veronae.* Cineres a digniori Sacerdote, qui Celebranti imposuit, semper genibus flexis ad altare recipit, nisi sit Praelatus vel Canonicus Ecclesiae Cathedralis, qui stantes recipiunt. Idem dicas de palma et de candela, uti ex Rubricis Missalis et Caeremonialis patet, et hoc sensu Decreta sunt intelligenda atque interpretanda.

XVII. *Pro eod. loco.* Sacerdos, in Sabbato Sancto, qui cotta indutus Celebranti assistere potest in minoribus Ecclesiis parochialibus, non videtur redarguendus si Dalmatica indutus Praeconium caneret, quod iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII ab ipso Celebrante cantari deberet, qui postea ad altare iterum indutus cotta rediret. Benedictus enim XIII Sacerdotem aut Diaconum non supponit, sed clericos tantum, ut parvi Caeremonialis spiritui non videatur contrarium, sed potius consonum.

XVIII. *Pro America Sept.* Alias scripsimus (*V. Ephem. 1899, pag. 456, Dub. 1)* occurrente S. Silvestro in Dominica, uti anno pr. elapso, die 30 Dec. post Vesperas a Capit. de S. Silvestro faciendam esse commemorationem primam de infra octavam Nativitatis; rationes recole illic allatas, et V. etiam Calend. Rom. an. 1899.

XIX. *Pro oppido Vicario Segobricensi.* Circa colorem

stolae pro Communione extra Missam in Vigilia Pentecostes, V. Ephem. Liturg. 1890, pag. 464, Dub. XIV, et pag. 509, Dub. VII; idque applices pro feria V in Coena Domini.

XX. *Pro eod. loco.* In festis Sacratissimi Cordis Iesu, et SS.mi Sacramenti, habetur idem subiectum et obiectum: subiectum seu persona est Dominus, obiectum in primo est corpus Domini, in altero est ipsius pars, si materialiter consideretur. Ergo in uno commemoratio non est facienda de altero ex noto principio.

XXI. *Pro eod. loco.* Nihil obstat, quominus dum exponitur SS.mum Sacramentum canantur hymni *Pange lingua* strophae aliquae, quin dicantur versus et Oratio; mos est laudabilis et usitatus. Dum autem deponitur, dicitur optime *Tantum ergo* cum versu et Oratione, post quam benedictio.

ALLELUIA

SPECIMEN

Biblicum, historicum, liturgicum.

(*Cont. vid. n. 9 an. 1899, pag. 559*).

Divus Hieronymus Bethlehemiticum monasterium describens, quod S. Paula fundavit rexitque, pergratam notat consuetudinem sacras convocandi virgines ad Communitatis actus *Alleluia* cantu: « Post *Alleluia*, scribit, cantatum, quo signo vocabatur ad collectam, nulli residere licitum erat (1). » Nec profecto mirandum, inter mona-

(1) Epist. 27, Epitaph. Paulae.

sterii consuetudines hanc quoque cantandi *Alleluia* Paulam induxisse, cum idem Hieronymus in illius ad Eustochium elogio referat de illius exultanti spiritu, cum suam neptem, cui et nomen Paula, adhuc balbam audiebat in *alleluia* canendo iam instructam: « Non debeo silentio praeterire quanto exultaverit gaudio, quod Paulam neptem suam, ex Laeta et Toxotio genitam, imo voto et futurae virginitatis repromissione conceptam audierat in cunis, et crepitaculis balbutiente lingua *Alleluia* cantare, aviaeque amitae nomina dimidiatis verbis frangere». In literis autem ad Laetam super institutione dictae puellulae stupens scribit: « Quis hoc crederet ut Albini Pontificis neptis de repromissione martyris nasceretur? ut praesente et gaudente avo, parvulae adhuc lingua balbutiens Christi *Alleluia* resonaret? »

Nec tantum inter eiusmodi excultam gentem id solemne fuit; sed et campestres Palaestinae populi in *Alleluia* modulando se placebant. Paula et Eustochius ad Marcellam scribens, quam in Bethlehem invitat, hac prae aliis rationibus eam allicit: « Quocumque te verteris, arator stivam tenens *Alleluia* decantat. Sudans messor psalmis se avocat et curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canit ». Item, iuxta quod divus Augustinus alludit, hoc videtur esse nautarum canticum (1); et Sidonius Apollinaris eiusmodi morem sequentibus versibus describit:

« Curvorum hinc chorus helciariorum.
Responsantibus *Alleluia* ripis,
Ad Christum levat amnicum celeusma (2).

Sanctus autem Paulinus, a grege similitudine desumpta, cantum hunc populi ita refert:

Hinc senior sociae congaudet turba catervae

(1) Lib. *De Cantico novo*, cap. 2.
(2) Lib. II. Ep. 10.

Alleluia novis balat ovile choris (1).

Quaedam itaque venerationis species in hoc verbum exorta est, quam in poenis praesentis exilii veluti solatium considerarunt. « In hoc quidem tempore, *ad rem Augustinus*, peregrinationis nostrae ad solatium viatici dicimus *Alleluia:* modo nobis *Alleluia* canticum est viatoris, tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus, non remanebit nisi *Alleluia* (2)». Videbimus inferius, quousque mediae aetatis tempore huiusce religiosae poësis proprio, hoc sub respectu perventum fuerit.

Alleluia in se spectatum, tanquam nostrae huius peregrinationis levamen, ac si iusta esset castaque eruptio christiani cordis, in divinas se effundendi laudes habentis opus, suapte natura nequibat, quin tantam in formis liturgicis explicationem assequeretur. Eapropter, licet haud in universis Ecclesiis eadem semper disciplina vigeret, quinimo ipsa in romana Ecclesia magis quam in aliis arctatus illius usus esset (uti et serius in illam quam in Ecclesias Orientis invectus fuerat), divus Hieronymus, in Vigilantium scribens, in eum animadvertit, quod praeter alios errores canticum *Alleluia* in solius paschalis temporis angustiis cuperet circumscriptum : « Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum; et martyrum neget sepulcra veneranda, damnandas dicat esse vigilias, nunquam nisi in Pascha *Alleluia* cantandum etc. (3) ».

Impossibile propemodum foret, *Alleluia* usum in sua historica evolutione prosequi, maxime ob discrimina, quae magna ex parte e locorum consuetudinibus ortum duxere.

---

(1) S. Aug. Serm. CCLV, n. 1.

(2) Ep. 18.

(3) Lib. III, Ep. 8. advers. *Vigilantium*.

Huc generaliter tantum statuere iudicium possumus, illius cantici usum ampliorem in Orientali, praecipueque in Graeca Ecclesia fuisse. In Occidentali autem, et peculiariter in Romana Ecclesia paulatim invectum, extensumque esse, ac quaedam tandem generales statutae fuisse normas, quae illud plus minusve coarctarunt. In Graeca Ecclesia hodiedum *Alleluia* frequentioris est usus, adeo ut Quadragesimali tempore atque etiam in funereis officiis frequenter iteretur. Ex. gr. iuxta hodiernum ritum, cadavere in templum delato atque in nartece deposito, ita in Rubrica praescriptum legitur: « Καὶ ψάλλεται ἡ πρώτη στάσις τοῦ Ἀμώνου.... ἐν δὲ τῷ τέλει ἑκάστου στίχου λέγομεν· Ἀλληλούϊα ».

« Μακάριοι οἱ ἄμομοι ἐν ὁδῷ, οἱ πορευόμενοι ἐν νόμῳ Κυρίου— Ἀλληλούϊα » atque ita deinceps pro integra prima, στάσις, quae ad sequentem pervenit versum: « Ἀγαθός μοι ὁ νόμος τοῦ στόματός σου ὑπὲρ χιλιάδας χρυσίου καὶ ἀργυρίου ». In altera στάσις autem interponitur responsum: « Ἐλέησον τὸν δοῦλόν σου ». In tertia denique iterum interponitur *Alleluia*.

Consuetudinem cantandi *Alleluia* in defunctorum officiis iure credimus aliquando viguisse in Occidentis etiam Ecclesiis. Re sane vera, ex altera epistolarum S. Hieronymi, quae funera describit Fabiolae, habetur: « Sonabant psalmi et aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat *Alleluia* (1). Item vetusta Liturgia Gallicana et Mozaraba in funereis ritibus *Alleluia* servarunt, et hodiedum in Toletana Liturgia *Alleluia* reperitur ad *Lauda* Missae defunctorum proprio.

Alleluia autem quamprimum ad animi laetitiam significandam acceptum est, quod, ni fallimur, ex diversa christianorum obitum considerandi ratione derivatum credimus. Non enim fas est christianorum mortem uti causam tristitiae considerare. Mors nonnisi terminus est duri vitae

(1) Ad Oceanum. Ep. LXXVII.

certaminis terrenique exilii; et beata quies, quae prolixioris diei laborem sequitur, « Beati mortui, qui in Domino moriuntur, » in Apocalypsi describitur : (1) ut merito proinde quid pium sacrumque conseatur, ac solaminis argumentum. Fides autem in mortuorum resurrectionem nobis potestatem facit illius uti somni respiciendae : ut christiana mors prima, quam sacra Biblia memorant, sequentibus descripta verbis habeatur : « Positis autem genibus (*Stephanus*), clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, *obdormivit* in Domino (2). » Nec praetereundum, in Ecclesiae primordiis, mortem, quam solemnius fideles recolebant, fuisse Martyrum: Tuorum profecto mors triumphus est, et hodiedum canimus in Martyrum Liturgia:

Terrore victo saeculi
Poenisque spretis corporis,
Mortis sacrae compendio
Vitam beatam possident.

Hac itaque ratione morte inspecta, satis elucet, eam dare locum iure meritoque posse laetitiae laudique praefatae, ex qua eadem mors antonomastice exprimitur. Verum, fidelium caritate frigefacta, eodem ne modo considerari mors poterit? Equidem morti terrifica cogitatio facile consociatur rationem reddendi supremo iudici, qui pro inutili quoque verbo ad calculos unumquemque vocabit. Ex natura proinde oritur sacri terroris sensus, discessum e mundo concomitans, aeternaeque mortis praevalens timor, cuius temporalis potest esse praeludium. Hinc gravioris tristitiae explicatur nota, quae officia cuncta funerea pervadit, quam et vividioribus exprimit coloribus Sequentia *Dies irae*, Offertorium *Domine Iesu Christe, etc.*

(1) XIV, 13.

(2) Act. Apost. VII, 60.

uti et absolutio *Libera me*, *Domine*, *etc.* Hinc ad rem Cavalerius: « Tam graduale quam tractus in missis de-
« functorum nullam unquam mutationem subeunt: adeo
« luctuosa officia sunt missae de requiem, quae nobis
« obiiciunt Purgatorii animas a facie Dei proiectas, in
« immanissimis tormentorum generibus excruciatas, ut
« aptae haud sint suscipere vel intermixta admittere lae-
« titiae signa, unde et respuunt vocem *Alleluia* » (1).

(*Contin.*)

Prof. Ignatius Salvatori.

CASUS

Anno 1850, N. N. Parochus Ecclesiae S. Iacobi in urbe N. petiit obtinuitque aliam Ecclesiam, Ss. Ioseph et Bernardo dicatam. Quia Ecclesia S. Iacobi satis ampla non erat, nec bene exposita, insuper humiditate laborat. Hinc auctoritas Ecclesiastica et civilis Ecclesiae Ss. Ioseph et Bernardi libenter Parocho cessit usum. Itaque anno 1851 Parochus N., S. Iacobi relicta Ecclesia, in alia S. Ioseph et Bernardi parochialibus muneribus fungi coepit. Anno 1866 Moniales Camaldulenses eiusdem Urbis N. e proprio Monasterio dimissae ab auctoritate civili, obtinuerunt Conventum Ecclesiae Ss. Ioseph et Bernardi adnexum. Quae primum Cappella eiusdem Ecclesiae interna pro officio recolendo usae sunt, postea aliam petierunt a Parocho Ecclesiae Cappellam attiguam, denique Cappellam altaris principis, quae et ipsis concessa fuit. Hinc propria incoeperunt in eadem Ecclesia celebrare officia, eaque in consuetudine adhuc per-

(1) *Oper. liturg.*, tom. III, cap. x, n. 3.

severant. Parochus tamen unum agnovit hucusque Titularem Ecclesiae, idest S. Iacobum. *Quaeritur :*

1. Parochus N. potestne perseverare in celebratione festi S. Iacobi uti Titularis?

2. Tenetur ne agnoscere et celebrare festa Titularium Ss. Ioseph et Bernardi?

3. Moniales possunt ne iuxta proprium Calendarium celebrare festa, maxime quae Ordinis sunt propria, cum officio et Missa conventuali ?

4. Eaedem Moniales, sicut et Parochus, tenentur ne anniversarium Dedicationis Ecclesiae Ss. Ioseph et Bernardi celebrare?

Resp. Ad 1 et 2. Parochus N. cuiusnam Ecclesiae est Parochus? S. Iacobi, an S. Bernardi? Certum est enim Titularem Ecclesiae ius habere ut festum suum recolatur ab eo, qui eidem Ecclesiae adscriptus est, in casu a Parocho. Iam nunc Ecclesia S. Iacobi videtur nobis ita derelicta, ut ob rationes allatas, quarum vis tempore augeri quidem potest, haud vero minui, amplius non sit a Parocho resumenda. Aliunde Ecclesia S. Bernardi data illi est, interventu auctoritatis, seu civilis, seu ecclesiasticae, ut ea utatur pro suis parochialibus officiis exercendis et implendis. Vel itaque de iure, vel certe de facto, paroeciae S. Iacobi iura in Ecclesiam S. Bernardi translata sunt: ut Parochus N. non iam ut pridem S. Iacobi, sed S. Bernardi merito nominari possit et sit.

Quid est autem de Ecclesia S. Iacobi? Estne clausa? Diruta? Estne illi aliquis saltem Sacerdos uti Rector adscriptus? Statne adhuc census illius ? Manentne sua aliqua saltem iura? Guyetus hanc sibi quaestionem proponit: « Utrum si, non deleta quidem Ecclesia, aut abrogata est, sed alio translata... Titulus ipse adhuc perseveret ? » Sequenti autem modo respondet: « Perseverare, eiusque festivitatem observari debere a clero proprio illius Ecclesiae,

iuxta definitionem Gregorii Papae in pari casu datam, *Extra, de Religiosis domibus. Cap. Quia Monasterium.* (Lib. I, cap. IV, q. VII). » Ratio est, quia Ecclesia adhuc extante, suis manentibus iuribus, clero adhuc eidem adscripto, intacta permanent Tituli iura ut ritu suo proprio celebretur, cum Titulus *per se* non cesset, nisi omnino destruatur Ecclesia.

Hinc sequitur, in facti-specie distinctione opus esse, videlicet: si Tituli celebratio fieri potest, debet: si fieri non potest, cessat obligatio. Sed quaestionis cardo est, an ad eiusmodi festum teneatur Parochus N. qui illa in Ecclesia non est amplius, seu ad quem illa Ecclesia, iam relicta, amplius saltem de facto, non pertinet. Reponimus: negative. Dictus namque Parochus, relicta cum interventu auctoritatis legitimae Ecclesia S. Iacobi, aliam pro ea obtinuit illaque utitur, in qua sua munia parochialia exercet, et quae ad eum hic et nunc pertinet, nec transeunter sed permanenter. Haec autem, nempe Ss. Ioseph et Bernardo dicata, suum proprium duplicem Titulum possidet, ad cuius festum recolendum Parochus N. consequenter tenetur. Aut ergo ad utriusque tenetur Ecclesiae Titulum celebrandum, aut ad unius tantum Titulum Ecclesiae. Illud autem admitti nequit; quia N. non est duarum Ecclesiarum Parochus, sed unius; ergo ad unius tantum Titulum tenetur. Iam nunc, si Ecclesia eius non est amplius Ecclesia S. Iacobi, sed tantum Ss. Ioseph et Bernardi, consequens est, ut teneatur ad Titulum solum eiusdem Ecclesiae celebrandum.

Porro si Parochus N. non tenetur celebrare Titulum Ecclesiae relictae, neque potest. Nam huius vel illius Tituli festum celebrare non est liberum unicuique, sed in praecepto; et fundamentum praecepti celebrationis consistit in Ecclesiae proprietate, liturgice accepta. Atqui Ecclesia S. Iacobi non est amplius propria Parochi N. uti diximus, ergo illius Tituli festum, qua tale, celebrare non potest. E con-

trariorum autem ratione palam sequitur, teneri Parochum N. ad celebrandum Titulum novae Ecclesiae, quam propriam nunc possidet.

Titulum autem Ecclesiae antiquae celebrabit novus Rector, si sit: secus, si aut omnia amisit iura, si desint census, si clausa fuerit, ut facile argumentari licet, nemo celebrare tenetur, quod nullius sit propria.

Resp. ad 3. De officio nulla institui potest quaestio; quia Moniales, eo quod mutaverint Ecclesiam, mutare nequeunt Calendarium, quod ipsis est impositum: ut aliud sequi nequeant sine S. R. Cong.nis auctoritate. Quaestio ergo reducitur ad Missam Conventualem officio respondentem in dicta Ecclesia: et de illa tantum quaeri potest, an celebrari ea possit. Festa Ordinis in earum Calendario sunt inscripta; ergo ea et possunt et debent celebrare quod attinet officium; sed Missas illis respondentes poterit ne earum Cappellanus celebrare in Ecclesia Ss. Ioseph et Bernardi? En quaestio satis simplex. Animadvertimus, Missam Conventualem pro Monialibus esse praeceptivam. Hinc Cappellanus, etiam anteactis temporibus, quando proprium tenebatur sequi Calendarium, ratione Missae Conventualis Monialium cogebatur illud relinquere, ut illarum sequeretur. Quod a fortiori nunc fieri debet, ut officium Monialium sit completum. notum est enim, Missam potiorem officii partem constituere. Sed gravis hic oritur difficultas, eo quod Ecclesia illa non est Monialium propria, sed Parochi: ut consequenter Moniales sint velut in Ecclesia aliena. Ius autem praesens exigit ut in Ecclesia aliena Sacerdos nunquam suum, sed Ecclesiae Calendarium sequi debeat Ergo ne Moniales nunquam, vel raro et quasi per accidens, seu quando earum Calendarium convenit cum Calendario Parochi, seu Ecclesiae, Missam Conventualem habebunt? Nullus sanae mentis id persuasum habebit. Aliunde Parocho minime licet, neque ullo pacto convenit, ut Calendario illarum

se conformet. Quid ergo? Reponimus 1. Satis consultius fuisset Parocho, si reliquisset Moniales vel in interna Cappella, vel ad summum in alia Ecclesiae attigua, propria officia per se, ac relativas Missas per Cappellanum peragentes. Imo consultius fortasse et impraesenti esset, ut Moniales ad pristinam hanc Cappellam pro integro officio redirent: tunc quodvis incommodum haberet finem. Haec prima responsio. 2. Si id fieri nequeat, aliam exhibemus nodi solutionem. Inter duo mala minus eligendum esse ratio dictat: ex quibus alterum est omissio fere continua Missae Conventualis, alterum est eadem Missa Conventualis, saepius discrepans, maxime in festis Ordinis, a Missa Parochi, aliorumque celebrantium fortasse in Ecclesiam advenientium. Quodnam ex duobus malum minus? Discrepantiam esse credimus Missarum, potiusquam Conventualis Missae omissionem. Ratio est, quia praeceptum Missae Conventualis gravius urget, quam concordantia unius Missae cum aliis. 2. Officii publici incompleti frequentia magis repugnat legi, quam discrepantia inter se Missarum in una eademque Ecclesia. 3. Moniales ex crebra omissione Missae Conventualis magis gravarentur, quam Parochus ex una Missa cum aliis non conveniente. Hinc credimus in casu tolerabilius esse incommodum Missae Conventualis, quae attentis rerum locorumque adiunctis locum proinde habere potest. Addas, etiam Romae in una eademque Ecclesia eiusdem Monasterii, in quo nequitia temporum duos et tres Monialium diversos Ordines reclusit, idem comprobari inconveniens et gravius: toleratur tamen. Concludimus, Moniales non esse in casu inquietandas.

Resp. ad 4. Reponimus affirmative. De Parocho iuxta principia posita non fieri debet quaestio; quia si tenetur ad festum Tituli, a fortiori, posita Ecclesiae consecratione, tenetur ad anniversarium Ecclesiae, sua est enim, vel eam uti suam habere debet, liturgice loquendo. Quod vero spe-

ctat Moniales, dicimus, eas Monasterium habere tamquam proprium, prout etiam Ecclesiam, quia ipsis legitime fuit concessa; ergo, aut est aut haberi ea potest uti earum propria. Atqui de Ecclesia consecrata, ii, ad quos illa pertinent, tenentur anniversarium Dedicationis celebrare, ergo.

At dices: ergo Ecclesia Ss. Ioseph et Bernardi et ad Parochum pertinet et ad Moniales. Ita quidem, inspecto facto, quod auctoritas tam civilis quam ecclesiastica probavit, et temporum tristitia tolerandum dictat.

Indumenta liturgica in Ecclesia latina

Commentaria critico-historica

PROEMIUM

1. De vestibus sacris, quibus in celebratione divinorum mysteriorum utitur Ecclesia Catholica, diversos habemus tractatus: sed in ipsis non est quaerendum de istarum vestium origine, deque incremento, atque uno verbo de earum historia; nam maxima istorum auctorum pars vix has quaestiones obiter tangit, quando etiam de ipsis aliquantulum praeoccupatur: et omnis eorum cura, omne studium repositum est in investigandis pluribus, quas invenire possunt, mysticis interpretationibus his vestibus attribuendis: interpretationes inquam, saepe saepius supervacaneas et eorum solummodo arbitrio innixas, ut est methodus, qua utuntur. Ast recentiori aetate clarissimi non defuerunt auctores, qui mirabili patientia de vestibus liturgicis investigarunt quaestionem historicam, et profundo

acumine ad conclusiones practicas pervenerunt et indubias. Iamvero nondum per longum latumque excursus est ager, maxime circa vestes pontificales; ut proinde nostris non displiceat lectoribus humanissimis, si compendiose afferamus studia circa sacerdotales vestes in Ecclesia latina hucusque peracta. Si enim omnibus hoc placet viris doctis, cur et a fortiori Sacerdotibus non placebit? In diversis igitur articulis de *amictu*, de *alba*, de *cingulo*, de *manipulo*, de *stola*, deque *casula* loquemur, omnia colligentes quae ad eorum originem, incrementum, formam referuntur, et breviter etiam notantes significationem mysticam ac symbolicam ipsis inhaerentem.

2. Quod tamen magni ponderis censendum maximeque notandum hoc est, quod derelictae omnino sunt tehoriae, secundum quas vestes liturgicae per antiquissimas ecclesiasticas ordinationes invectae fuissent, quae christianae Liturgiae vestes ad typum vestium Sinagogae Israeliticae elegerunt : vel etiam ob amorem symbolismi excogitatae fuissent. At e contra vera demonstratur sententia Walaphridi Strabonis († 849), secundum quam nostrae liturgicae vestes lento, sed claro et indubio processu a vestibus profanis derivarunt : « vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum qui nunc habetur, auctae sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant (1)». Hoc *commune indumentum* cleri idem prorsus erat ac praestantium virorum civile insigne. Pontifex Maximus S. Caelestinus I († 432) in epistola quadam ad Episcopos Galliae (2) usum indumenti ecclesiastici spe-

(1) Liber de exordiis et incrementis quarumdam in observationibus ecclesiasticis rerum, Cap. 24, in *Migne. Patr. latina* CXIV, 952.

(2) In Iaffé, Regesta Pontificum, n. 369: « Didicimus quosdam Domini Sacerdotes superstitioso potius cultui inservire quam

cialis censura notat, et hoc est propemodum indubium indicium quod Romae et locis sub eius immediata iurisdictione positis non habebantur speciales vestes. Pene omnia apud nos supponunt documenta a Pontifice Maximo usque ad Acolythum et ad alios inferiores ministros, omnes detulisse *casulam* vel penulam, generatim obscuro colore, vel purpuream et tunicam coloris albi. Et haec indumenta a laicis etiam ferebantur saeculo sexto. Quod si ab initio Aevi Medii aliquid invenitur discrepantiae indumenta inter ecclesiastico-liturgica et profana, hoc duplici rationi adscribendum est: quia vestes ecclesiasticae progressu temporis, quoad formas accidentales, eodem semper manente essentiali typo, aliquibus mutationibus obnoxiae fuerunt, et quia pluribus vicibus ea indumenta mutarunt laici, dum e contra clerus vestem antiquam servavit, quae generatim erat prisci moris romani. Deinde circa saeculum septimum etiam indumenta ecclesiastica mutata fuerunt, antiqua veste exclusive ad ritus liturgicos exequendos servata, dum ad communem usum novam aliam acceperunt formam parum a liturgica dissimilem, e. g. communis tunica, liturgice *alba*.

3. His praemissis ad singularum vestium liturgicarum tractationem devenimus. Auctores in hoc studio consulendi, praeter alios subinde particulariter citatos, veniunt: Ioseph Braun S. I. *Die priesterlichen, Gewänder des abendlandes nach ihrer geschichtlichen Entwicklung - Ergänzungshefte zu den « Stimmen aus Maria Laach », 71*; Wilpert, *Un capitolo di storia del vestiario*, in Commentario Romano « *L'arte* » an. 1898, pag. 89-120, et an. 1899, pag. 1-51; H. Grisar S. I. *Analecta Romana*, Vol. I, Diss. XII, n. 4,

---

mentis vel fidei puritati.... Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? *Discernendi* a plebe vel ceteris sumus doctrina non veste.

et *alibi passim*; Duchesne, *Origines du culte chrétien*, chapit. XI, et alibi.

1. Amictus seu Humerale.

1. Amictus (antiquitus *anagolaium*, *anagologium*, *anaboladium*) tarde ut vestis liturgica ex monumentis apparet. De Wert († 1768) in aliqua S. Firmini icone inventum sustinebat ad altare princeps Abbatialis Ecclesiae S. Acheul (Ambiani), quam ad saeculum VII referebant. Ast cum ista Ecclesia diruta fuerit, nullo modo securitas indicationis comprobari potest, sed potius ex modo quo traditur aliquale dubium inducitur. Scribit enim: « On voit sous le grand autel de l'Abbaye de St. Acheul prés d'Amiens la figure de St. Firmin représenté en relief, sur son toucheau du pierre.... la tête enveloppée de *l'amict en forme de Capuchon* fort serré (Expl. du Cerem. de l'Eglise, Paris 1708) ». Usus autem caput circumcingendi cum humerali pertinet ad saeculum decimum; ergo vel icon S. Firmini non spectabat ad saeculum septimum, vel pannus ille tegens caput amictus non erat.

2. In documentis scriptis amictus multo prius apparet. S. Isidorus (Ethymolog. l. 19, c. 25) de eo loquitur: sed incertum est an sit noster amictus. Ecce eius verba: « *anaboladium*.... amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Graeci et Latini sindonem vocant». Verba clariora sunt Ordinis Rom. I, et alterius manuscripti S. Amandi a Duchesne editi (o. c. Append.). Notare iuvat compilationem Ordinis I sub praesenti forma antiquissimam esse: duas complectitur partes, quarum prima (an. 1 ad 21 inclusive) si non pertinet ad tempus S. Gregorii Magni, vix est illo posterior (V. Grisar o. c. diss. IV, n. 3) Alius Ordo indubie est saeculi octavi. Nunc in prima legitur: « Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta solemnia hoc ordine. De-

fert ea plicata cubicularius tonsuratus, accepta a manibus hostiarii iuxta caput scamni, subdiacono regionario. Et tunc ceteri subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum ea (ad induendum) pontificem alius lineam (1) alius cingulum, alius *anagolagium,* alius dalmaticam, alius stolam (?), et alius planetam, et sic per ordinem induunt pontificem »: In secundo autem legitur: « Quando dalmaticas induit (Pontifex) et diaconi similiter induunt se, et subdiaconi involvunt se *anagolagio* circa collum et induunt se tunicas albas... ».

Ex ipsis testibus multo iure inferri potest amictum in usu fuisse etiam praecedenti aetate, nam praesumi nequit de eo, si praeter consuetudinem fuisset, compilatorem Ordinis ex se verba fecisse. Fortasse hunc habuit processum: circumcingere collum erat iam consuetudo specialis eorum qui monasticam vitam degebant: de quo exemplum praestat S. Fulgentius Ruspensis, qui, uti enarrat eius Biographus Ferrandus Diaconus, deferebat sub casula pallium album vel nigrum, et in claustro, tempore permit-

(1) Idest albam. Novam refero editionem, quam redegit P. Grisar (l. c. n. 4) ex codice sessoriano excerptam. N. 52: verba allata leguntur sub n. 6. Editio a Mabillon facta (Musaeum italicum, vol. 11) differt aliquantisper: in ipsa non leguntur verba *alius stolam*, pro quibus legitur: *alius lineam dalmaticam, et alius maiorem dalmaticam.* Pontifex autem per manus Subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta sua hoc ordine. Defert ea plicata cubicularius tonsuratus, accepta a manibus vestiarii iuxta caput scamni. Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius *anagolaium*, id est amictum, alius lineam dalmaticam, et alius maiorem dalmaticam et alius planetam ; et sic per ordinem induunt Pontificem ».

tente, solum pallium: quod postea ex communi usu in liturgicum illatum fuit (1).

3. Variae sunt auctorum sententiae super aetate huius invecti usus. Alii (et sunt scriptores qui in nostris liturgicis vestibus transformationem a sacerdotum hebraeorum vestibus vident) in amictu *Ephod* inveniunt Summi Sacerdotis Israelitici. Sed hoc sustineri nequit, nam ut taceamus formae diversitatem et materiae, Ephod constituebat superiorem et praestantiorem vestem Summi Sacerdotis, dum e contra apud nos amictus est inferior et omnino accidentalis. Rohault de Fleury (La messe VII; 4, 10) silens amictum fuisse tegumentum capitis, in sententiam propendere videtur illum ortum esse a vittis, quibus ethnici sacerdotes utebantur : ratio eiusmodi transformationis fuit praescriptum Apostoli, ex quo mulieres tecto capite in Ecclesia esse debebant. Sed ipse obliviscitur iam attulisse decretum Concilii Romani sub Zacharia habiti (743), quod Apostoli praescriptionem in usum revocans, statuebat: ut nullus episcopus, presbyter aut diaconus ad celebrandum Missarum solemnia presumeret cum baculo introire aut *velato Capite altari assistere* (quoniam et Apostolus prohibet **viros** *velato capite* orare in Ecclesia). Mauri Collect. Concil. 365 bis.

Insuper notandum est, solummodo sub saeculo decimo amictum capitis tegumentum fieri. Reiiciamus etiam oportet opinionem auctorum qui, derivantes originem vestium liturgicarum a symbolico sensu eis in posterum tributo, in amictu galeam salutis viderunt; dum haec exorta est idea postquam amictum tegumentum capitis factum est. Rationes porro quae ad usum amictus induxerunt, in praxi po-

(1) In regula S. Isidori apud Migne P. L. CIII, 1244, legitur: « Si quis pallium non habet, humeris mappulam superponat ».

tius videre est. Cura ut a sudore immunia essent paramenta ditiora, indecentia colli in sacris functionibus denudati, necessitas calefaciendi collum dum sacra agerentur in frigidis humidisque ecclesiis, timor amittendi vocem (unde ab Amalario amictus dicitur *custodia vocis*), ista et alia simul et seorsim accepta, ad invectionem amictus inter vestes liturgicas in originem et paulatim ad ea adhibenda omnes postea coegerunt. Successu temporis tributa est illi significatio symbolica plus minusve diversa ut videbimus. Circa saeculum nonum fit amictus vestis liturgica communis. Non desunt etiam auctores illum ignorantes, uti Walaphridus Strabo († 849), sed alii cognoscunt. Sic Rabanus Maurus, Walaphridi magister, in libro *de clericorum institutione* illum inter vestes liturgicas describit; auctor operis, cui titulus « *admonitio synodalis* », neminem sacrum peragere debere sine *amictu*, *alba*, etc. docet; Rabanus Archiep. Maguntinus († 856) in commentario ad Lib. I Reg. eum vocat « Ephod bad » quod interpretatur humerale lineum; et Amalarius Metensis Archiep. († 850 circit.) in opera « *De Eccles. Off.* », L. 2, C. 17, ait: *amictus, ideo dicitur quia circumicitur.*

4. Amictus semper fuit, uti nunc est, prima vestium liturgicarum; quod facile demonstratur ex *Ordinibus* et ex operibus quae nobis supersunt liturgicis. Excipiuntur tamen *Ordo I Rom.* (v. supra n. 2) unus vel alter auctorum, et Missale Ambrosianum (impressum anno 1560 iussu S. Caroli) qui illum post albam et cingulum ponunt. Circa hanc diversitatem nihil cum certitudine dici potest, nisi velimus admittere Ordinem I, describentem caeremonias in Pontificalibus Summi Pontificis agendas, loqui de alio amictu, *Phanon* dicto, quem Pontifex induebat, induitque in praesenti in Pontificalibus, atque auctores citatos, et Missale Ambrosianum Ordinem I secutos fuisse. Ceterum quomodocumque res sint, questio vix alicuius est gravitatis.

(*Continuab.*) I. B. A. P. C. M.

APPENDIX

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

De regulis seu normis

ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis.

Inter cetera quae huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud supereminet secernendi nimirum veras Indulgentias ab apocryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apocryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso suae institutionis exordio semper exstiterit quoad Indulgentiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irreperent, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non desint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationabili zelo perculsi, falsas, vel ut minimum valde suspectas, Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est ut plures Antistites hanc S. Congregationem adiverint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernerentur, sed praesertim ut Ecclesiae hostibus via praecluderetur eam calumniandi, et aspernendi coelestem Indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis, nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christifidelibus facilis aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum iudicium de aliquibus

Indulgentiis, quae passim in vulgus eduntur, dubia mque praeseferunt authenticitatis notam.

Hoc vero S. Congregationis propositum SS.moD.no Nostro Leoni XIII delatum, eadem Sanctitas Sua illud approbavit iussitque quam primum executioni mandari.

Quare S. Congregatio, adhibito studio R.morum Consultorum, Indicem praedictarum regularum elucubrandum curavit; quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5 Maii 1898 examini E.morum PP. Cardinalium subiecit. Hi vero postquam praefatum Indicem mature perpenderint, eumdem, in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 3 Augusti 1899, in quibus E.mi et R.mi Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt:

REGULA PRIMA.

« Authenticae sunt omnes Indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur. »

REGULA SECUNDA.

« Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habendae erunt ut authenticae, cum earumdem concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit antequam publicentur. »

REGULA TERTIA.

« Authenticae habeantur Indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitiis, Sodalitiis, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia typis editis. »

REGULA QUARTA.

« Non habeantur ut authenticae Indulgentiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in

summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda. »

REGULA QUINTA.

« Apocryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes Indulgentiae mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessae dicantur. »

REGULA SEXTA.

« Suspectae habeantur Indulgentiae plenariae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis. »

REGULA SEPTIMA.

« Reiiciendae sunt ut apocryphae Indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes.

REGULA OCTAVA.

« Ut commentitia reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et Indulgentiae quae dictae promissioni adiici solent ut apocryphae habendae sunt. »

REGULA NONA.

« Apocryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur Indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur. »

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem eiusdem S. Congregationis Praefectum SS.mo D.no Nostro Leoni PP. XIII relatas in Audientia diei 10 Augusti 1899 eadem Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 10 Augusti 1899.

FR. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI *Praefectus.*

L. ✠ S. † ANT. ARCHIEP. ANTINOEN. *Secretarius.*

« Commentarii in supradictas regulas, approbante S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ad opportunitatem adiecti ».

AD REGULAM PRIMAM.

Haec regula respicit collectionem vulgo: *Raccolta di Orazioni e pie Opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze — Roma - Tipografia della S. C. di Propaganda Fide, 1898.* — Regulae vero fundamentum ex ipso fine, quem sibi S. Congregatio in edendo illo libro praestituit, manifeste patet. Iam enim anno 1877, quando prima editio Collectionis, de qua agimus, ex officio ab ipsa hac S. Cong.ne publicanda praeparabatur, in Decreto praevio haec legebatur declaratio: « Summus Pontifex benigniter annuit ut *authentica* omnium et singularum precum piorumque operum, quae usque ad presentem diem indulgentiis ditata vel aucta fuere, sylloge seu Collectio per Secretariam eiusdem S. Cong.nis quam diligentissime conficeretur ». Ideo illa prima, et postea anno 1886 pariter secunda, editio ab eadem S. Cong.ne declarata est authentica; nunc vero in Decreto tertiae editioni anni 1898 praefixo ita legitur: « Huiusmodi Collectionem typis S. Cong.nis de Propaganda Fide cusam idem SS. D.nus Nr. Leo Pp. XIII sua apostolica auctoritate approbavit; eaque proinde *uti genuina et authentica Sylloge Indulgentiarum hactenus pro universis Christi fidelibus et pro quibusdam eorum coetibus ibidem designatis concessarum ab omnibus est retinenda* ».

AD REGULAM SECUNDAM.

Approbantibus Benedicto Pp. XIV, et Pio Pp. IX, a S. Congregatione Indulgentiarum diebus 28 Ianuarii 1756 et 14 Aprilis 1856 Decretum est promulgatum huius tenoris (Dec. auth. S. C. Indulg. n. 205 et 371): « Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia S. Cong.ne, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem S. Congre-

gationis deferre ». - Id tamen valet tantum quoad indulgentias omnino et sub omni respectu generales: quae scilicet concessae sunt omnibus fidelibus pro quibusdam precibus vel piis operibus, et quidem in perpetuum; non valet de iis, quae requirunt insuper adscriptionem in piam Unionem etc. vel visitationem determinatae ecclesiae, vel quae obligationem imponunt deferendi certum scapulare vel numisma etc., vel quae ad tempus quoddam determinatum conceduntur: istae omnes indulgentiae potius particulares censendae sunt, ad quas Decretum Benedicti XIV et Pii IX non sese extendit.

Constare autem poterit de recognitione indulgentiarum novarum generalium a S. Congregatione peracta, si indulgentiae istae exhibentur a libris vel auctoribus omni fide dignis, qui ab ipsa S. Congregatione eiusmodi concessiones accipiunt vel saltem, eadem permittente, eas lectoribus suis communicant.

Ad Regulam Tertiam.

Agitur hic de indulgentiis non omnino generalibus, de quibus in regula praecedenti, sed aliquo modo particularibus, ut patet ex ipso tenore huius regulae. Iamvero quedam ex Summariis hic nominatis, uti statim in regula sequenti dicetur, a solis Episcopis recognosci et approbari possunt; alia vero S. Congregationi Indulgentiarum necessario sunt proponenda pro recognitione et approbatione. Patet autem huiusmodi Summaria omnia, si certo ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse neque alia recognitione et approbatione Episcoporum indigere, etiamsi forte recognitio et approbatio Episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

Ad Regulam Quartam.

In nova Constitutione de Prohibitione et Censura Librorum Decretum XVII ita habet: « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia ». Et in Decreto XV legitur: « Imagines quomodocumque impressae D. N. I. C., B. M. V. etc. sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae auctoritatis licentia non publicentur ». Hinc patet, de authen-

ticitate indulgentiarum generalium sive particularium quomodocumque impressarum non constare, nisi adsit approbatio auctoritatis competentis; deficit enim elementum necessarium et praescriptum ad authenticitatem cognoscendam et stabiliendam.

Dicitur autem probatio *distincte exprimenda*, id est cum nomine approbantis, cum loco et tempore approbationis datae.

Auctoritas competens in genere est ipsa S. Congregatio Indulgentiarum, exceptis tamen casibus sequentibus, in quibus etiam approbatio Ordinarii loci sufficit (Decret. auth. n. 383):

1. Si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae particularis, vel de edendo Summario indulgentiarum, quod ex uno tantum Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est;

2. Si agatur de Summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato, excepto tamen elencho indulgentiarum, ut aiunt, Apostolicarum (pro coronis, numismatibus etc.), qui ubicumque et quovis idiomate edatur, approbationem S. Congregationis requirit; excepta etiam quavis versione integrae Collectionis Indulgentiarum « Raccolta » dictae; singulae tamen indulgentiae in eadem contentae auctoritate Episcopi, ut patet, publicari possunt;

3. Si agatur de Summariis illarum Confraternitatum, quae ex concessione S. Sedis ab Institutis Religiosis eriguntur vel ab Archiconfraternitatibus aggregantur; tunc enim sufficit recognitio et approbatio Episcopi illius loci, ubi eiusmodi Instituta religiosa vel Archiconfraternitates sedem principalem habent (Decr. Auth. n. 388).

In omnibus aliis casibus recognitio et approbatio ipsius S. Congregationis requiritur, praesertim si agatur de Summario indulgentiarum vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo.

Patet denique, huiusmodi Summaria omnia, si certo iam ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse, neque alia recognitione et approbatione Episcoporum indigere, etiamsi forte ex dictis recognitio et approbatio episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

Ad Regulam Quintam.

Indulgentiae huius generis a gravissimis auctoribus semper iudicatae sunt alienae ab usu Sedis Apostolicae. Revera si concessae referantur ante saeculum XIV, stare non possunt cum antiquiori Ecclesiae disciplina (ita Theodor. a Spiritu Sancto de Indulgentiis II, 247): manifesto enim constat saeculo XIII et etiam XIV adhuc indulgentias fuisse valde exiguas (v. g. 10, 20, 40 dierum, unius anni, raro 5 annorum vel 7, rarissime 20 annorum). Quod si posterioribus saeculis attribuantur, multa quidem extant authentica Decreta, quibus eiusmodi indulgentiae reprobantur ut apocryphae, sed ne unum quidem adhuc afferri potuit documentum talis concessionis, quod sit *certo authenticum*. Si vero aliquod dubium de quadam huius generis indulgentia extare posset, nuper Decreto huius S. Congregationis d. d. 26 Maii 1898 omnes indulgentiae mille vel plurium millium annorum sunt revocatae: ita ut hodie ne una quidem admitti possit.

Ad Regulam Sextam

Christifidelibus in articulo mortis constitutis Summi Pontifices magna liberalitate indulgentiam plenariam concedere consueverunt, ea sub conditione, ut saltem contriti corde (si SS.ma Sacramenta Poenitentiae et Communionis recipere non potuerint) nomen Iesu ore, vel saltem corde, devote invocaverint, et mortem ut stipendium peccati de manu Domini aequo animo susceperint. Sed praeter articulum mortis indulgentiam plenariam fidelibus pauca dumtaxat verba recitantibus concedere nunquam mos fuit sanctae Sedis. Revera in tota Collectione authentica precum piorumque operum, quae « Raccolta » dicitur, ne unum quidem exemplum huius generis invenitur; si forte excipias orationem illam notissimam « En ego, o bone et dulcissime Iesu » ante imaginem Crucifixi recitandam. Sed in primis ea oratio non adeo paucis verbis constat, et in ea supponitur aliqua meditatio dolorum ac vulnerum Iesu Christi Crucifixi, ac praeterea ad plenariam indulgentiam lucrandam confessio et communio et etiam preces ad mentem Summi Pontificis requiruntur. Quare hic repeti potest, quod in praecedenti regula explicanda dicebatur, nullum sci-

licet extare documentum *certo authenticum*, quo Christifidelibus pauca solum verba recitantibus concessa fuerit unquam a Summis Pontificibus indulgentia plenaria; multa vero Decreta certa tales indulgentias ut apocryphas vel suspectas repudiant.

AD REGULAM SEPTIMAM.

Haec regula explicatione vix indiget. Cum enim indulgentiae ex piis solummodo et rationabilibus causis concedi debeant, S. Sedes nunquam eiusmodi naenias vel ridicula vel impossibilia promisit in elargiendis indulgentiis: immo ne fallaci spe et noxia praesumptione fidelium mentes deciperentur, plura Concilia opportune eos monuerunt, ne libellis vel scriptis huiusmodi temere fidem haberent (Cfr. Theodor. a Spir. Sancto II, p. 327). Sane catalogi indulgentiarum a Summis Pontificibus proscriptarum id manifeste evincunt. Sufficiat ex multis citare orationem quamdam, quae inventa fuisse dicebatur in sepulcro D. N. I. C. et revelata olim Sanctis Elisabethae, Reginae Hungariae, Mechtildi et Birgittae, quae quidem cum omnibus suis promissionibus extravagantibus iam anno 1678, et nunc iterum Decreto 26 Maii 1898 ab hac S. Congregatione ut apocrypha reprobata est.

AD REGULAM OCTAVAM.

Etsi Summi Pontifices praeteritis saeculis ea etiam formula in indulgentiis concedendis usi sint, ut Christifidelibus certas orationes (non pauca tantum verba, uti supra in regula sexta) recitantibus, vel pia quaedam opera peragentibus liberationem unius animae ex purgatorio promitterent, id tamen communiter alio sensu intelligi non debet, quam ut indulgentia quaevis plenaria fidelibus viventibus a Summis Pontificibus oblata, etiam animae cuicumque in purgatorio detentae applicabilis declarata fuerit, uti fert stylus Curiae hodie usitatus. Certo autem ex authenticis documentis probari nequit, quemquam illorum liberationem plurium simul animarum a purgatorio unquam promisisse, multoque minus pro recitatione unius alteriusve precis tantum.

Quemadmodum igitur assertiones eiusmodi uti male fundatae haberi debent, ita etiam indulgentiae promissionibus talibus adiectae, ut apocryphae nulliusque valoris reiiciendae

sunt: eo vel magis quod eiusmodi indulgentiae plerumque iis inusitatis modumque excedentibus sunt accensendae, de quibus in regula praecedenti dictum est.

AD REGULAM NONAM.

Ecclesia ex multo iam tempore indulgentias partiales, ut notum est, certis quibusdam formulis stabilibus concedere solet, uti v. g. 50, 100, 200 vel 300 dierum, vel unius anni, vel 3, 5, 7 annorum et totidem quadragenarum; sed a praxi Sedis Apostolicae omnino alienae sunt indulgentiae v. g. 1080 dierum, quemadmodum legebantur indicatae in quibusdam numismatibus B. M. V., quae ante quadraginta fere annos Laureti vendebantur: quae ideo ab hac S. Congregatione die 23 Februarii 1856 declaratae sunt apocryphae (Decr. auth., n. 370). Nostris hisce diebus saepe in foliis ideo indulgentiae maximi dierum numeri indicantur, quia auctores seu editores *numeros annorum et quadragenarum proprio suo arbitrio in correspondentes numeros dierum converterunt;* ita ut calculo huiusmodi facto statim mille vel plura millia dierum indulgentiae prodierint. Quod quidem ex aemulatione quadam non laudabili provenire indubium est: ita enim demonstrare ad oculos volunt, indulgentias v. g. unius confraternitatis vel pii operis esse maiores illis, quae aliis similibus fuerunt concessae. Desiderandum valde est ut Ordinarii locorum eiusmodi schedas vel libellos minime approbent, etiamsi calculus veritati undequaque respondere videretur.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. Ap. Magister.

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Torretta Borghese 22-25